AUTHOR:

KRAUS, FRIEDRICH

TITLE:

UTRUM SOPHOCLIS AN EURIPIDIS...

PLACE:

PASSAVIAE

DATE:

1890

Master Negative #
93-81629-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88EM2
DL

Kraus, Friedrich
Utrum Sophoclis an Euripidis Electra aetate prior sit quaeritur, scripsit Fredericus Kraus... Passaviae, Passaviae Consortium, 1890.
86 p. 23 cm.

"Programma Gymnasii Passaviensis ..."
Bound with: Labujewski, Joannes. Quaestiones de cantico quod legitur apud Euripidem in Electra v.433-485. 1874.

171294

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA



FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/4/93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202






Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

UTRUM SOPHOCLIS AN EURIPIDIS ELECTRA AETATE PRIOR SIT QUAERITUR.

SCRIPSIT
FREDERICUS KRAUS.

PROGRAMMA GYMNASII PASSAVIENSIS
ANNO 1889/90.

PASSAVIAE.
TYPIS EXPRESSIT PASSAVIAE CONSORTIUM.
MDCCCXC.

Mireris, quod ego de hac quaestione tam lubrica quamque viri doctissimi dissimillimo cum eventu tractaverunt, rursus disserere ausus sum.[1]) Tamen ignoscas mihi hisce de causis. Scripsit enim Udalricus Wilamowitzius de Moellendorf commentationem,[2]) qua Euripidem ante Sophoclem Electram suam et composuisse et docuisse demonstrare studet.

J. Singerus[3]) illam Wilamowitzii sententiam refutare conatus est, sed ratione, ut opinor, parum diligenti. Quare et Wilamowitzium refellere pluribus melioribusque quam Singero contigit argumentis et quae recentiores protulerunt ad controversiam componendam respicere atque exanimare animum induxi. Quibus libellis usus sim, intellegere potes ex indice pag. 4 sqq.

De nostra quaestione ante illum Gruppii librum[4]) litem non fuisse haud male dixeris. Omnes enim Sophoclis Electram priorem esse fabulam putabant, cum Sophocles aetate quoque Euripide prior esset; altius non quaerebant. Gruppius autem (pag. 453) affirmavit Sophoclem post Euripidem composuisse Electram, quam sententiam brevi complures secuti sunt viri docti, quare Flessa (pag. 5) recte Gruppium huius controversiae verum nominat auctorem. Nam ex illo tempore viri docti, qui in tragicos poëtas summum conferebant studium, quasi in duos exercitus divisi sunt, quorum qui Euripideam fabulam ducit priorem, militum numero inferior adhuc esse videtur. Permulti autem scripti sunt libelli de hac re in utramque partem,

[1]) A. Schoellius omnino licere negat Aeschyli, Sophoclis, Euripidis de Electra fabulas inter se comparare (conf. „Neue Jenaer Literaturzeitung“ 1843 Nr. 24 pag. 98). E contrario F. Flessa „Die Prioritätsfrage der sophokleischen und euripideischen Elektra und ihr Verhältnis zu einander, sowie zu den Choephoren des Aeschylus“ Bamb. 1882 pag. 24.

[2]) „Hermes“ XVIII Berol. 1883 pag. 214—263.

[3]) „Die beiden Elektren“ Vindob. 1884.

[4]) „Ariadne“ Berol. 1834 pag. 453—461.

quos si omnes legeris, animum tuum mire affectum, ne dicam perturbatum esse senties. Qua de causa? Quod, quae hic protulit, ille repudiat, ut sententiae prorsus inter se differant. Videtur enim quaestio nimis carere fundamento, ut omnibus illis libellis omissis utriusque fabulae aetatem ex ipsa sola fabula definire et circumscribere[1]) satius esse opineris. Tamen alienum non esse videtur conspectum dare librorum huc spectantium servato temporum ordine.

Examen agat Gruppius, qui Euripidis Electram priorem esse demonstrare vult his argumentis:

1) Cum Aeschylum ante Euripidem et post hunc Sophoclem Philoctetam composuisse inter omnes constet, et ipsam Electram composuisse Euripidem ante Sophoclem verisimile est. Quod argumentum quam sit infirmum, facile vides.

2) Euripidea fabula prior est putanda secundum rationes metricas. Nam primum invenitur vocalium in versuum fine elisio in Sophoclis Electra, Euripidis fabula caret ea; quare hunc Electram composuisse ante olympiada 87., Sophoclem posterius a veritate non prorsus alienum esse videtur. Deinde Euripidis fabula libera est trochaicis versibus, singuli trimetri non dividuntur pluribus actoribus etc.; quae omnia priorem Euripideae Electrae originem indicant. — Equidem talia argumenta e re metrica repetita non contenderim omnino esse neglegenda; sed cave, ne nimium momenti iis attribuas. Est enim poëta liber, non subiectus numeris servi instar. Licere ei debet uti illis, ut cum ipse tum natura fabulae postulant. Ceterum tragicos poëtas provecta aetate in numeris adhibendis leviorem quandam rationem secutos esse haud abnuerim. In fine commentationis meae de hac re largius disputabo.

3) Si utriusque fabulae argumenti explicationem accurate consideraverimus, fieri non poterit, quin Euripidis tragoediam cum Aeschyli Choephoris multa, cum Sophoclis Electra nihil commune habere concedamus; ergo Euripides aptus est ex Aeschylo, non e Sophocle, qui quidem multa ab Euripidis Electra mutuatus est. Hoc Gruppii argumentum Flessa plane refutavit.

[1]) Wilamowitzius pag. 242: „Lediglich aus dem Inhalt, aus der Poesie heraus habe ich das Altersverhältnis der beiden Elektren bestimmt.“ Quare Singerus pag. 52 iniuria vituperat Wilamowitzium, quod aliorum de hac quaestione libellos de industria omiserit. Et pag. 224 ann. Wilamowitzius iis, quae alii de hac re scripserint, non se adiutum esse dicit. Cur igitur enumeraret nomina?

4) Postremo Gruppius Euripidem Electram suam Sophocle prius composuisse putat ob eam causam, quod prorsus non possit intellegi, qua ratione adductus Euripides docuerit fabulam multo inferiorem Sophoclis tragoedia. De hoc argumento postea effusius loquar.

Kolsterus „Ueber die Zeit der Abfassung der Elektra des Sophokles und Euripides“, Meldorfii 1849, generatim probat Gruppii sententiam haec nova addens argumenta:

1) In Euripidis Electra priora illius temporis facta significantur quam in Electra Sophoclis. Equidem in Euripidis tragoedia historiam omnino non tangi puto.

2) Complures Sophocleae Electrae loci poëtam Euripidis Electram iam cognovisse demonstrare videntur. Cui argumento Kolsterus ipse non multam probandi vim attribuere videtur.

3) Euripides non respicit Sophocleam fabulam ne iis quidem locis, ubi manifeste carpit Aeschylum, Sophocles, quae vituperaverat in illo Euripides, bene correxit.

W. S. Teuffelius „Ueber des Aeschylos Promethie und Orestie“, Tubing. 1861 pag. 21 sic iudicat: „Am vollendetsten erscheint dabei die Bearbeitung des Sophokles, die vielleicht auch die späteste von den dreien ist, so dass er in der Lage war, die Mängel seiner Vorgänger zu vermeiden und deren Vorzüge zu übertreffen.“

R. Hauptius „Ueber Euripides' Elektra“, („Zeitschrift für die österreichischen Gymnasien“ 1873 XXIV pag. 660—669) certum annum, quo Electra Euripidea docta sit, enucleare studuit.

Wilamowitzii commentationem iam commemoravi pag. 1.

E. Bruhnius ‚Lucubrationum Euripidearum capita selecta‘ („Fleckeisens Jahrbücher für klassische Philologie“ 15. suppl. pag. 225 sqq.). De hoc libello eleganti mox plura verba faciam.

Omnes hi, quos adhuc enumeravi, Euripidis Electram aetate priorem esse putant. Nunc eos afferam, quibus Sophoclem ante Euripidem composuisse Electram persuasum est.

G. Hermannus in praef. ed. El. Soph. (Lips. 1825) pronuntiat Euripidis condicionem difficiliorem fuisse quam Aeschyli et Sophoclis . . . . . ‚ne actum agere iudicaretur, viam, quam illi ingressi erant, deserere coactus fuit eaque ex re aliquid excusationis habet.‘

K. F. Wieckius „Abhandlungen über die Elektra des Sophokles und die Choephoren des Aeschylus", Merseb. 1825 pag. 25: „Euripides, der gleichfalls in seiner Elektra denselben Stoff nach, fast sollte man zur Ehre seines Geschmackes annehmen, vor dem Sophokles bearbeitete, ist nicht nur hinter seinen grossen Vorgängern, sondern sogar weit hinter seinen eigenen Leistungen zurückgeblieben."

I. V. Westrikius ‚Disput. lit. de Aesch. Choeph. deque Electra cum Soph. tum Eur.', Lugd. Batav. 1826 et ipse Euripidis Electram esse posteriorem censet.

Non minus Zirndorferus ‚De chronologia fab. Eur.' Marb. 1839 cap. X, 63 et Meinekius ‚Frag. com. Graec.' Berol. 1840 II 2, 952 huc sunt referendi.

Queckius ‚De Euripidis Electra' Jen. 1844 pag. 69 dicit: ‚Euripides, ut antecessorum viam relinqueret, alias sibi excogitaverat rationes, quibus Electrae sortem et domus Agamemnoniae expiationem describeret, ne scaenas admodum notas repeteret.'

A. W. Schlegelius „Dramatische Vorlesungen", Lips. 1846 I, 162: „Um nicht ungerecht zu sein, muss ich noch bemerken, dass die Elektra vielleicht das allerschlechteste Stück des Euripides ist. Ist es die Sucht nach Neuheit, was ihn hier auf solche Abwege brachte? Freilich war er zu beklagen, dass ihm bei diesem Gegenstand zwei solche Vorgänger zuvorgekommen waren."

Hartungius in praef. ed. El. Soph. (Lips. 1850) Euripidi satis causae fuisse dicit, cur discederet a Sophoclis ratione. Illius enim tragoediam post Sophoclis Electram esse compositam luce clarius videri, quamquam multi negaverint.

Schneidewinus et ipse in praef. ed. El. Soph. (Lips. 1855) pag. 33 §. 5 Euripidem aliquanto post Sophoclem composuisse Electram putat.

Elspergerus „Beiträge zur Erklärung der Elektra des Sophokles" Ansb. 1867 pag. 5 Sophoclis Electram nullam praebere ansam ad coniciendum, quo anno docta sit haec fabula. Id tantum consequi ex usu Sophocleo mirarum notarum, quibus Aeschylus ἀναγνώρισιν efficiat, Sophoclem Euripidis iudicium de illis notis illiberale quidem, sed acutum nondum cognovisse. Nam si cognosset, fieri non potuisse, quin Euripidem recte sentire intellegeret. Ergo huius fabulam posteriorem esse.

G. Wolffius in ed. El. Soph. (Lips. 1872) pag. 134: „Ueberhaupt gestaltete Euripides die Sage frei zu einem bürgerlichen

Rührstück um und zeigt deutlich die Absicht, seine beiden Vorgänger zu verbessern."

L. Fischerus „Die Choephoren des Aeschylus und die Elektren des S. und E." Feldkirch. 1875, Euripidem fabula sua Aeschyli et Sophoclis tragoedias paene ludibrio habere voluisse putat.

K. O. Muellerus „Griechische Literaturgeschichte" II, 108 ed. Heitzius Stuttg. 1875, in Sophoclis tragoediis enumerandis Electram collocat post Antigonam, quae fertur prima fabularum Sophoclis nobis traditarum. (Ceterum confer Heitzii annotationem.)

Mavius in ‚comment. Momms.' 291, Berol. 1877 Sophoclem non nunquam ab Euripide in Electra carptum esse censet.

H. Weilius „sept tragédies" etc. Lutet. 1879 pag. 563: „L'Electre d'Euripide a été écrite, longtemps après les Chcéphores d'Eschyle, et tout porte à croire, qu'elle est aussi posterieure à l'Electre de Sophocle.

Bernhardyus „Griechische Literaturgeschichte" Hal. 1880 II 2, pag. 345: „S. nutzte zwar das fruchtbare Motiv, welches sein Vorgänger ihm in den Choephoren hinterliess, nahm sich aber volle Freiheit, den Plan umzugestalten."

F. Flessa (vide pag. 3 ann. 1) omnes libellos usque ad annum 1882. scriptos, qui pertinent ad nostram quaestionem, collegit summa cum diligentia, quam maxime laudo in eius opusculo. Sed vellem minus diligens nonnunquam fuisset. Nam persaepe Euripidem Sophoclis imitatorem fuisse demonstraturus locos affert, ex quibus ut id, quod vult demonstrare, consequatur, fieri non potest, velut Aesch. Choeph. vv. 123 sqq.[1]) et Soph. El. vv. 110 sqq. . Voluisse videtur Flessa totam quaestionem tam accurate tamque diligenter pertractare, ut dubitationi locus iam non esset; sed plus demonstrasset, ut opinor, si minus dixisset. Liceat mihi argumentum libelli Flessani breviter afferre.

Ac primum quidem enumerat eos viros doctos, qui nostrae quaestioni ad illud tempus operam dederant, et uniuscuiusque sententiam explicat. Deinde demonstrare studet Sophoclem omnibus fere rebus ad Aeschylum se applicasse[2]) nisi aut ingenii sui proprie-

---

[1]) Versus Aeschyleos numero secundum Weckleinii Aeschylearum fabularum editionem (Berol. apud Calv. 1885), versus Sophocleos secundum G. Dindorfii Sophoclis tragoediarum edit. III. (Oxon. 1860).

[2]) Queckius pag. 87: ‚Nam vel leviter trium fabularum enarrationem intuenti persuasum sit necesse est in plurimis rebus Sophoclem ad Aeschyli argumentum propius accedere quam Euripidem.' Similia profert pag. 88.

tate aut emendatione quadam appetenda impediebatur. Tum commemorat dissimilitudines, quae exstant inter Choephoros atque Sophocleam Electram.[1])

Tum disserit de Euripidis Electra id potissimum premens, quod Euripides probabilitati obtemperans nonnulla mutavit. Multis aliis prolatis rebus, quas omittere mihi liceat[2]), comparat pag. 82 sqq. Sophoclis atque Euripidis Electram et multos similes ambarum fabularum locos invenit.

Postremo Flessa summam facit ex iis, quae dixit in libello suo, hisce verbis: „Die Zusammenstellung der beiden Electren hat so viele Berührungspunkte ergeben, dass man . . . nicht mehr zweifeln kann, dass hier die mannigfaltigsten Beziehungen zwischen beiden Dichtungen obwalten. Das Wesen dieser Beziehungen aber ist von der Art, dass man mit Bestimmtheit annehmen muss, E. habe nicht allein die Dichtung des Aesch., sondern auch die des S. vor sich liegen gehabt. . . . So kann sonach kein Zweifel mehr obwalten, dass die Electra des S. früher gedichtet und früher zur Aufführung gelangt ist, als das gleichnamige Stück des Euripides."

Th. Bergkius „griech. Litteraturgesch." ed. G. Hinrichsius, Berol. 1883 III, 551: „Eur. kannte die Arbeit seines Rivalen, als er seine Elektra schrieb."

J. Singeri commentationem iam supra (pag. 3) attuli.

Guentherus[3]): „Andererseits steht die Kunst des E. in

[1]) Velut affert Electrae Aeschyleae et Sophocleae diversissimam indolem, cuius differentiae causam in tota fabulae dispositione positam esse putat. Hac occasione nequeo praetermittere, quanta sit inter viros doctos discrepantia in iudicandis Electrae Sophocleae moribus. Confer quae Flessa dicit pag. 42. Plane aliter Guentherus „Grundzüge der tragischen Kunst", Lipsiae 1885 pag. 149 sqq. . Ne Gruppius quidem satisfecit Guenthero acriter castigans Schlegelium, qui Electrae Sophocleae serenitatem quasi caelestem vindicat. Mea autem opinione Guentherus non recte sentit dicens: „Das ist keine „Herbigkeit" der „heldenstarken" Jungfrau, das ist einfach unmenschlich und roh." Ingenium rude atque saevum nulla Sophoclis persona prae se fert. Quare admodum mihi probatur, quae Gruppius dicit: „Herber, quälerischer, tragischer ist vielmehr gerade hier .... S., und milder nur insofern, als er kunstvoller ist."

[2]) Ea solum commemorare velim, quae dicit de matris caede ab Euripide minime probata. Cum opponere vellet Euripides suam de parricidio opinionem Sophocleae quam perhorrescebat, sententiae, Electrae fabulam composuit, qua aequalium de tanto scelere arbitrium exprimit deosque increpat, qui hominibus talia imperent.

[3]) vide ann. 2.

technischer wie tragischer Beziehung den zwei vorausgegangenen Dichtern zu schroff gegenüber."

O. Ribbeckius in „Leipziger Studien zur klassischen Philologie" Lipsiae 1885 VIII 2, pag. 382 sqq. pauca, sed egregia attulit demonstraturus Sophocleam Electram esse priorem. Paulo post illam Ribbeckii commentationem largius tractabo.

I. Vahlenus ‚In Eur. Electram coniectanea aliquot critica' Berol. 1887, annotat ad vv. 151—158.[1]): ‚Quam comparationem qui cum versibus Electrae Sophocleae contenderit 147—152, paene adduci videatur Euripidem carpere velle Sophoclem, quod Electram patris mortem lamentantem cum Philomela aut Nioba filiorum interitum deflentibus (conf. v. 107) composuerit.'

Gul. Christius, ‚Griechische Litteraturgeschichte" in „Handbuch der klassischen Altertumswissenschaft", tom. 7 § 156 pag. 182:

„Die Elektra des Euripides ist zwar mehr gegen Aischylos als Sophokles gerichtet, aber nicht bloss geht der Vorwurf des leichtgläubigen Vertrauens auf eine blosse Haarlocke (Eur. El. 530) auf beide, sondern kehrt sich auch der Hinweis auf die Fiktion der pythischen Spiele (v. 883) speziell gegen Sophokles."

Nunc propositum meum propius aggrediar. Priusquam autem Wilamowitzii argumenta refellere conor, ipsum me sententiam meam argumentis confirmare aequum esse videtur. Est autem mihi persuasum Sophoclis Electram aetate priorem esse his de causis:

Eur. El. v. 80 sq. dicit agricola:

ἀργὸς γὰρ οὐδεὶς θεοὺς ἔχων ἀνὰ στόμα
βίον δύναιτ' ἂν ξυλλέγειν ἄνευ πόνου.

Haud scio an Euripides his verbis Sophoclem reprehendere voluerit, cum in huius fabula iam per multos annos lamentetur Electra atque lacrimet[2]) nil proficiens, deos semper in ore habens (conf. Soph. El. vv. 110 sqq.). Chori quoque mulieres consolantur eam deorum admonentes (vv. 173 sqq.), cum apud Euripidem virgines Electram vituperent, quod semper queratur (vv. 193 sqq.). Omnino placuit Euripidi Sophoclis Electram paene egredientem cothurnum

[1]) Versus Euripideos numero secundum A. Nauckii Euripidearum fabularum edit. III.

[2]) Weilius pag. 564: ‚Les âmes vulgaires oublient; les âmes d'élite se consacrent tout entières à une douleur légitime, ne laissent jamais s'affaiblir en elles les saintes indignations. Telle est l'Electre de Sophocle.'

vertere in mulierem morosam, victus penuriam semper dolentem (conf. vv. 192, 265, 393). Secundas autem partes agit agricola, qui, ut est simplex atque paucis contentus, suo more particeps est huius mirae rusticationis.

V. 82 sq. Orestes Pyladem amicum sic alloquitur:

Πυλάδη, σὲ γὰρ δὴ πρῶτον ἀνθρώπων ἐγὼ
πιστὸν νομίζω καὶ φίλον ξένον τ᾽ ἐμοί.

Quibus verbis Euripidem plerique editores existimabant voluisse Sophoclem corrigere, cum is (El. v. 28) Pyladem silentio praetermisisset. Equidem Euripidem non corrigere voluisse Sophoclem, sed imitari puto. Nam si corrigere eum voluisset, Oresti praeter Pyladem etiam paedagogum adderet comitem necesse erat. Quodsi fecisset, profecto Sophoclem ab eo carpi possemus dicere, qui Orestem non Pyladem, sed paedagogum fecisset alloquentem. Atqui in Euripidis Electra Orestes cum solo Pylade in scaenam prodit. Potest igitur non alium nisi hunc alloqui; quare Euripides Sophoclem imitatus est, quod Orestem inducit eisdem fere verbis appellantem Pyladem, quibus apud Sophoclem Orestes paedagogum alloquitur.[1])

VV. 104 sqq. dicit Orestes:

ἢ γάρ τις ἀροτὴρ ἤ τις οἰκέτις γυνὴ
φανήσεται νῷν, ἥντιν᾽ ἱστορήσομεν,
εἰ τούσδε ναίει σύγγονος τόπους ἐμή.

Licetne conicere Euripidem versibus illis voluisse significare hos Sophocleae Electrae versus:

πρὶν οὖν τιν᾽ ἀνδρῶν ἐξοδοιπορεῖν στέγης,
ξυνάπτετον λόγοισιν κτέ. (v. 20. sq.)?

In Sophoclis Electra Orestes venit aedes paternas visurus. De consilio caedis perpetrandae nondum collocuti sunt, cavendum est iis, ne conspiciantur. Apud Euripidem omnia iam instructa atque constituta sunt. Non solum non timent, ne deprehendantur, sed etiam cupiunt, ut veniat, ex quo, quod comperire volunt, sciscitentur.[1])

Eo quoque Euripidem de industria a Sophocle discessisse dicas, quod apud illum chorus puellarum alacrium Electram ad Iunonis

[1]) Sophocli crimini datum est, quod Pylades expers sit colloquii. Defendit poëtam Rosenbergius „Elektra, eine Tragoedie des S.“, Berol. 1842 pag. 61 sq. Confer etiam Schlegelium pag. 120 et 160.

[1]) Ceterum versus Sophocleos 20—23 non nunquam esse oppugnatos quem fugit? Nauckius interpolatori eos deberi censuit; alii coniecturis locum aggressi sunt, velut Meinekius, L. Langius.

diem festum invitat, cum Sophocleam Electram matronae adeant consolaturae.

V. 298 sq. dicit chorus:

πρόσω γὰρ ἄστεως οὖσα τἂν πόλει κακὰ
οὐκ οἶδα, νῦν δὲ βούλομαι κἀγὼ μαθεῖν.

Mihi quidem verbis his Euripidem perstringere voluisse Sophoclem non prorsus alienum a probabilitate esse videtur. Sophocles enim Electram sortem suam copiose choro facit describentem, cum habitans in urbe Electrae condicionis inscius esse non possit.

V. 326 sq. dicit Electra:

.... *τῆς ἐμῆς μητρὸς πόσις*
ὁ κλεινὸς, ὡς λέγουσιν, ἐνθρῴσκει κτέ.

Confer Soph. El. v. 300:

ὁ κλεινὸς αὐτῇ ταὐτὰ νυμφίος παρών.

Equidem verborum *ὁ κλεινός* similitudinem non fortuitam esse contenderim. Nam uterque poëta hoc loco *κλεινός* vocabulo simulate usus est quasi cognomine, ut de sermone tragico dici non possit. Hoc quoque respice, quod in utraque fabula illa verba versus sunt prima. Sed uter fuit imitator? Equidem Euripidem puto illam Aegisthi notationem mutuatum esse a Sophocle, sed non irrisurum eum. Videbatur enim ei illa vox tam eximie Electrae despectum Aegisthi exprimere, ut ea uti in Electrae oratione non vereretur.

‚Sed quomodo Euripidem fuisse hic Sophoclis imitatorem demonstrabis?‘ Audias Gruppium (pag. 326): „Wenn es allerdings bei der Wiederkehr blosser Worte und Redewendungen sehr schwer sein mag, zu entscheiden, was Original und Nachahmung ist, so geht dieses um so besser, je mehr das Entlehnte poetische Intention ist, weil hier dem Urteil nie wird entgehen können, wo etwas organisch in seinem wahren, gesunden Zusammenhang steht, und was bloss äusserlich dazugekommen.“ Quam Gruppii normam nemo non probabilem esse concedet. Referamus ad nostrum locum. Mihi quidem identidem legenti Sophoclis versus 299—302 *ὁ κλεινός* verba cum totius loci et constructione et sententia multo magis congruere atque cohaerere videbantur quam in Euripidis Electra. Incipit apud Sophoclem ab illis verbis quasi series contumeliarum, quibus Electra absentem Aegisthum afficit, cum in Euripidea fabula *ὁ κλεινός* verba versui 326 solute tantum adiecta videantur. Ceterum mireris, quod Electra apud Euripidem in solo Aegisthi scelere narrando verbis

ὡς λέγουσιν utitur, cum ea quoque, quae de Clytaemestrae vita affert, non nisi ab aliis comperire potuerit.

V. 351 interrogat colonus Electram:

ἦ καί τι πατρὸς σῶν τε μέμνηται κακῶν;

Respondet illa:

ἐν ἐλπίσιν ταῦτ᾽· ἀσθενὴς φεύγων ἀνήρ.

Apud Sophoclem Electra vehementer accusat fratrem:

. . . ὁ δὲ λάθεται
ὧν τ᾽ ἔπαθ᾽ ὧν τ᾽ ἐδάη (v. 168 sq.)

Confer etiam Soph. El. v. 305 sq. Euripidis igitur Electra maiore est prudentia quam Sophoclis, quem ille castigare videtur versu 352.

V. 361 sq. dicit colonus:

καὶ μηδὲν ἀντείπητε. παρὰ φίλου φίλοι
μολόντες ἀνδρός.

Et paedagogus apud Sophoclem v. 666:

. . . σοὶ φέρων ἥκω λόγους
ἡδεῖς φίλου παρ᾽ ἀνδρὸς κτέ.

et Clytaemestra v. 671:

. . . παρὰ φίλου γὰρ ὢν
ἀνδρός. κτέ.

Propria est Euripidis imitatoris *φίλοι* (v. 361) vox, qua addita consuetudine sua Sophoclis orationem amplificavit. Confer Soph. El. v. 19 et Eur. El. v. 54, Soph. El. v. 366 et Eur. El. vv. 932—935.

V. 400 dicit Orestes:

. . . βροτῶν δὲ μαντικὴν χαίρειν ἐῶ.

His verbis Euripides Sophoclem carpere videtur, apud quem chorus (VV. 472 sqq.) canit:

εἰ μὴ ᾽γὼ παράφρων μάντις ἔφυν . . .

Omnino chorus in Sophoclis Electra saepe vatis munere fungitur.

V. 516 sq. paedagogus, qui hoc loco partes agit Chrysothemidis Sophocleae (conf. Soph. El. vv. 892 sqq.), miratur, quisnam Agamemnonis tumulum ornaverit: *οὐ γὰρ Ἀργείων γέ τις.* Apud Sophoclem suspicatur Electra aliquem solvisse libamenta in Orestis occisi memoriam, quam explicationem miram reperias. Non enim ornamus tumulum hominis, ut alium honoremus. Quare Euripides rem probabilius quidem instituit, sed ieiunius:

ἀλλ᾽ ἤ τις αὐτοῦ τάφον ἐποικτείρας ξένος
ἐκείρατ᾽ κτέ. (v. 545 sq.)

Vahlenus (vide pag. 9) dicit: . . . . in quo genere Euripidis

ratio, ut saepe, prudentior, Sophoclis *ποιητικωτέρα* nobis quidem videtur.' Ceterum insigne est paedagogum dempsisse cirrum de tumulo (conf. Eur. El. v. 520 sq.), cum Chrysothemis propter religionem attingere non ausa sit.

A versu 614 Orestes et Electra cum paedagogo de consilio caedis colloquuntur. Omnia tanta diligentia constituuntur [1], ut nonnullos sicarios insidias alicui parare opineris. Ut Euripides his versibus et Aeschyli et Sophoclis rationem oppugnat, ita hunc potissimum vellicat illa copiosa consilii explanatione [2], cum Sophocles e more veri artificis paucis transigat versibus caedis consilium.

V. 824 sq. dicit nuntius:

θᾶσσον δὲ βύρσαν ἐξέδειρεν ἢ δρομεὺς
δισσοὺς διαύλους ἵππιος διήνυσε.

Haec imago mira esse videtur; illustrari quidem ea artem Orestis laniariam haud scio an nemo contendat. Nam lanius peritus pellem vitulo detrahere solet celerius quam eques quater circumequitat stadium, quare Euripidem imaginem aliunde arcessere debuisse opinor, si singularem Orestis agilitatem premere volebat. Fortasse Euripides illa similitudine Sophoclem ludibrio habere voluit. Est autem illusio haec: Euripideus Orestes munere suo melius fungitur quam Sophocleus, cuius laudes Pythias paedagogus mire praedicat.

Hac quoque re Euripides Sophoclem vituperare videtur, quod Aegisthi caedis narrationem tam copiosam reddiderit significaturus haud exiguum opus esse regem interficere.

VV. 883 sqq. Euripidem reprehensorem exsistere Sophoclis iam dudum annotatum est. Sed etiam corrigere voluit Sophoclem. Nam mirum ei visum est, quod Sophoclea Electra Orestem atque Pyladem caede facta domo exeuntes ne uno quidem gratulationis verbo salutat. Apud Euripidem Electra coronat utrumque atque salutat versibus decem.

V. 1105 sq. dicit Clytaemestra:

. . . καὶ γὰρ οὐχ οὕτως ἄγαν
χαίρω τι, τέκνον, τοῖς δεδραμένοις ἐμοί.

---

[1]) Similiter atque in Iphigenia Taurica.

[2]) Unde factum est, ut Orestes Euripideus tam infirmus esse videatur (conf. v. 618). Fortasse poëta hac Orestis infirmitate paenitentiam mox secuturam significare voluit.

Quibus verbis Euripides suam Clytaemestram prorsus opposuit Sophocleae dicenti v. 549:

ἐγὼ μὲν οὖν οὐκ εἰμὶ τοῖς πεπραγμένοις
δύσθυμος …

Iam supervacaneum esse videtur annotare Clytaemestrae Sophocleae et Euripideae ingenia prorsus inter se differre. Ceterum illa Electrae cum matre controversia inprimis respicienda est, si quae senserit Euripides de parricidio quaeritur. Euripidi erat persuasum matris caedem nullo modo excusari posse.[1]) Quare summo studio id nititur, ut misereat nos Clytaemestrae, et huius quidem artis peritissimum fuisse Euripidem quis est, quin sciat? Omnis fere culpa transfertur in Aegisthum, mater est clemens in filiam, in matrem moderans irae filia. Voluit poëta Clytaemestram invitam videri subiectam Veneris illecebris, Orestem imperio Apollinis. Nam homines tales depingebat Euripides, quales re vera erant; hominis autem non esse arbitrabatur tantam mentis obstinationem prae se ferre atque pertinaciam; quare non plane abalienatam descripsit Clytaemestram ab omni molliore sensu itaque spectantium animos aeque commovit ac nostros commovet, cum reginam miseram proprius admoverit ingenio humano. Aliter res se habet in Sophoclis Electra. In hac tragoedia Electra, Clytaemestra, Orestes suae quisque personae retinentes videntur per totam fabulam. Nunquam fere utitur poëta, ut ita dicam, humiliore cothurno, quare, etsi quando admittit, personarum altitudini magis quam humanae nihil detrectatur. Semper pares sunt in constantia tanquam ferrea, qua ea, quae sibi proposuerunt, assequi student, neque paenitentia supervenit eos caede facta. Sanguine matris aspersi egrediuntur e domo. Eorum adventum nuntiat chorus his verbis: (v. 1422 sq.)

Καὶ μὴν πάρεισιν οἵδε· φοινία δὲ χεὶρ
στάζει θυηλῆς Ἄρεος, οὐδ᾽ ἔχω ψέγειν.[2])

Euripides chorum querentem facit malam Tantaleae domus fortunam. Haud difficile diiudicari potest, uter poëta, si respicias summas artis leges, potiorem rationem secutus sit. Euripidis autem ratio quadrat ad posteriora Atheniensium reipublicae tempora.

A l i a q u o q u e r a t i o n e S o p h o c l i s E l e c t r a m p r i o r e m e s s e d e m o n s t r a r i p o t e s t.

---

[1]) Weilius pag. 560: ‚Un parricide commis sur l'ordre d'un dieu lui a semblé chose révoltante, absurde même.' Confer etiam Guentherum pag. 147 sqq.

[2]) ψέγειν pro λέγειν cod. recte Erfurdtius.

Nam Euripides tota Electrae tragoedia Sophoclis sententiam se non posse probare quasi confessus est. Intercedere voluit Electrae fabula Sophocleae sententiae parricidium a deo quodam mandatum excusari posse. Hoc summum demonstrandum sibi proposuerat in componenda illa tragoedia parricidii non esse excusationem. Singulatim Sophoclem si non corrigere, certe superare studet. In hoc quidem studio non nunquam ei accidit, ut, cum ea in Sophocle corrigeret, quae vera vitia erant, tum in superlationes incideret.[1]) Erat enim Euripides poëta, qui non singularem quandam summae perfectionis imaginem animo et cogitatione conceptam haberet, sed commovere voluit atque impellere spectatorum animos, qui avidi esse incitamentorum acrium paulatim coeperant. In iis numerandae sunt illae antecessorum illusiones, quae mea quidem opinione vero artifice indignae sunt.

In Sophoclis tragoediis similia nusquam invenies. Erat enim ei persuasum tragoediam esse excelsiorem quam ut quasi arena uti ea liceret opinionum inter se pugnantium. Euripides autem tragoediae hunc sublimem locum non iam concessit, cum artificiosam argumenti explicationem interruperit talibus aliorum poëtarum cavillationibus, quales in ipsa Electrae fabula saepe inveniuntur; quare Sophoclis Electra prior putanda est.

P o t e s t a u t e m g e n e r a t i m e x t o t o t r a g o e d i a e a p u d G r a e c o s i n c r e m e n t o o s t e n d i E u r i p i d i s E l e c t r a m p r i o r e m e s s e n o n p o s s e.

Habuit enim tragoedia, sicut omne litterarum genus, initium, fastigium, occasum. Et pervenit quidem ad fastigium mira cum celeritate. Nam cum argumenta, quibus poëtae tragici in fabulis uti poterant, pauca essent, et ut errarent in eligendis argumentis poëtae fieri non poterat, et crebra eiusdem argumenti tractatione[2]) fabula celeriter pervenit ad summam perfectionem.

---

[1]) Singula alii attulerunt. Velut Electra Aegisthum mortuum turpiter obiurgat, eadem gladium capit matrem vulneratura, Aegisthus dedecorat Agamemnonis tumulum modo foedissimo, idem, quasi pecus sit, caeditur etc. Quae omnia significant imminentem tragoediae occasum. Ceterum Euripidis et ipsa oratio non caret talibus superlationibus, inprimis in posterioribus fabulis. Erat enim poëta rhetorum discipulus. Confer M. Lechneri libellum elegantissimum: ‚De Euripide rhetorum discipulo.'

[2]) Non alienum videatur inquirere, cur antiqui poëtae multo saepius quam recentiores argumentum iam ab aliis tractatum et ipsi tractandum sibi sumpserint. Cuius rei causas indagare materia haud inepta sit commentationunculae. Has

Atque illam de Oreste vindice fabulam Sophoclem Electrae tragoedia summo candore summaque arte evolvisse nemo infitiabitur: ergo Euripidis Electra non potest esse prior, cum omnis ars constanter capiat incrementa, non per intervalla. Si Euripides solam Aeschyli fabulam novisset, non dubium est, quin, qua erat facilitate ingenii, ea correcturus fuerit, quae ille corrigenda reliquerat neque ut fabulam tantopere immutaret, coactus esset. Ex eo autem, quod hoc re vera fecit, consequitur eum Sophoclis fabulam omnibus numeris absolutam iam cognovisse. Superare adversarium non iam poterat artificiosa argumenti explicatione. Quare ipsum argumentum mutare animum induxit itaque summam spectatorum exspectationem ipso prologo excitavit, cum fabulae notio omnes deficeret (Confer Hartungium ‚Eur. Elektra', annot. ad versum 978. et Queckium pag. 43). Praeterea non omisit quaedam corrigere, quae Sophocles leviora putaverat quam ut respiceret. Hoc est signum verae atque integrae artis, quae non inhaereat rebus minutis, sed semper totius rei habeat rationem. Posteriores autem inprimis probabilitati inserviunt atque quasi auxii student, ut uniuscuiusque actionis causas afferant. Hanc rationem secutus est Euripides in Electra. Hoc

---

quidem in promptu habeo. Recentes poëtae plane aliam atque antiqui rationem sequuntur in fabulis componendis. Inveniunt argumenta pro sui quisque ingenii proprietate et etiamsi duorum vel trium poëtarum fabulis idem subest argumentum, tamen suum arbitrium in explicando argumento tantopere secuti sunt, ut in hac quidem re non possit cogitari de ulla cum antiquis comparatione. Evolvas Fausti fabulam Klingerianam vel Grabbei Faustum vel Lenavii vel Marlovii. Quas omnes fabulas si comparaveris cum Goethiana illa tragoedia, facile non multo plus quam titulum eas communem habere invenies. Est enim recentium poëtarum ingenium adeo non coërcitum certis finibus, ut liberrime et colere et explicare possint. Unde Goethius non Wallensteinii fabulam, Fausti non Schillerus potuit componere. Velut Goethium Schillero amico mortuo Demetrii tragoediam, quam quominus ille conficeret, fato impeditus erat, frustra ad finem perducere tentasse omnes sciunt. Nam Goethii ingenium prorsus aliud erat ac Schilleri, discedere autem ab ingenio suo neque potuit neque voluit. — Plane aliter res se habuit apud Graecos. Nam tragicorum poëtarum ingenia ob hanc ipsam causam erant coartata, quod exiguus tantum numerus argumentorum eis praesto erat, quae suo arbitrio immutare non audebant. Habebatur enim summa ars non inventio novi argumenti, sed artificiosa fabularum antiquitus traditarum explicatio et absoluta perfectio. Posterioribus quidem temporibus deposuerunt tragici poëtae illam religionem, inprimis Euripides. Qua ratione redii ad id, quod demonstrare volui.

autem et concedes haud admodum esse poëticum neque in hoc probabilitatis studio poëta omne vitium evitavit.

Velut admonuerim illorum versuum, quibus vehementer increpat Aeschylum, quod in Choëphoris notis parum verisimilibus usus sit. Quas ipse praebet?

οὐλὴν παρ' ὀφρύν, ἥν ποτ' ἐν πατρὸς δόμοις
νεβρὸν διώκων σοῦ μεθ' ἡμάχθη πεσών (vv. 573 sqq.).

Estne oblitus Euripides cicatriculam, quam infans accepit, non nunquam plane evanescere profecta aetate?

Haec sunt, quae inveni ad defendendam sententiam meam. Alia postea proferam data occasione, quod et illic meliore esse loco mihi videntur et tali ratione Wilamowitzianarum sententiarum censura non iniucunde intermittitur.

Nunc Bruhnii et Wilamowitzii argumenta aggressurus sum. Ille in lucubrationum Euripidearum capite octavo (pag. 306 sqq.) de aetate Sophocleae Electrae definienda disputat. Magna sagacitate insignes sunt Bruhnii quaestiones.[1]) Primum annum invenire studet, quo Sophoclis Electra docta sit.[2]) Deinde loquitur de Wilamowitzii commentatione et ex iis excerpit, quae ille profert de Euripidis consilio Electrae fabulae componendae.[3]) Tum pag. 314 Ribbeckii argumenta refellere conatur et hanc capitis particulam nunc accurate tractabo. Commemorat Ribbeckius pag. 383 Sophocleam de Orestis certamine Pythico eiusque ficto interitu narrationem, quae sit una ex pulcherrimis tragoediae partibus. In fabula autem Euripidea falsum nuntium Thessalum Aegisthi iussu cum summa arte lanii officiis fungi. Censet igitur Ribbeckius Euripidem hoc quidem loco Sophoclem carpere voluisse.[4]) Contra ea Bruhnius (pag. 315): ‚Inde Ribbeckius concludit haec apud Euripidem scripta esse quasi ad superanda (et procul dubio etiam reprehendenda) ea, quae de equiriis narrat Sophocles. Mihi quidem hoc paulo humilius videtur quam quod Euripidem commisisse arbitror.' Equidem Bruhnium Ribbeckii verba non satis intellexisse puto. Si is dicit Euripidem Sophoclis narrationem alia eaque agrestiore superare voluisse, hoc ‚superare' vocabulum non licet interpre-

---

[1]) Conf. Weckleinii recensiones in „Berliner philologische Wochenschrift" 1887 pag. 134 et in „Bursians Jahresbericht' 1886 fasc. 12 pag. 279.
[2]) De hac re in fine commentationis meae loquar.
[3]) Cum de Wilamowitzio disseram, Bruhnii quoque sententiam respiciam
[4]) Similiter Queckius pag. 67.

tari „übertreffen, besser machen", sed, si verbo est venia, „übertrumpfen". Noluit corrigere Euripides Sophoclem, quia non potuit. Sed utique narrationem scribere voluit, qua rustici quoque animi commoverentur nulla habita ratione, utrum talis narratio tragoediam deceret necne. Quare satis ei esse videbatur Sophocleae narrationi elationis plenae suam opponere imbutam acerbitate simulque Euripidea perspicuitate. Quod autem pertinet ad Bruhnii opinionem paulo humilius videri Euripidem tale intendisse arbitrari, admoneam Bruhnium aliorum Electrae Euripideae locorum, qui ad insulsitatem optime cum illa de Aegisthi caede narratione comparari possint. Admoneam eius loci, ubi Euripides miserum Electrae habitum usque ad fastidium depingit, admoneam eum locorum, quos attuli pag. 20 ann. Si Euripidi non visum est humilius tali ratione Sophoclem non corrigere, sed superare ipsa venustate missa facta, num hoc quidem loco poëtam humilius putasse isto modo carpere Sophoclem censebimus?[1])

---

[1]) Inveniuntur in tragicorum fabulis haud raro loci, ubi res atrocissimae uberrime referuntur. Velut in Antigonae fabula nuntius quidem Haemonis mortem Eurydicae matri tam accurate describit, ut haec desperationis plena abeat mortemque sibi consciscat. In Trachiniis Hyllus Deianirae matri copiose Herculis mortem narrat, quin etiam diras matris detestationes addit, ut et ipsa vitam sua sponte finiat, et quasi non iam satis sit crudelitatis, nutrix progrediens ex aedibus Deianirae mortem narrat versibus duodequinquaginta. Philoctetae loci te moneo, ubi poëta tetrum miseri viri vulnus describit.

Ex Euripidis fabulis Bacchae huc referri debent: reminiscere nuntii de furore mulierum bacchantium. Ex Medeae fabula affero internecionem Creusae etc. Quae res iure mirae significari debent. Quomodo enim, mehercule, fieri poterat, ut Graeci, primi elegantiae arbitri, talibus descriptionibus delectarentur? Quam quaestionem non indignam esse existimo, quae diligentius tractetur. Hic quidem pauca afferam. Illas crudelitates in tragoediam translatas esse puto ex epicis carminibus, quare potissimum in narrationibus nuntiorum inveniuntur. Commemoro tantum Homeri Iliada. Nonne plerumque vulnera quae militibus afferuntur, talia sunt, ut luridus nos horror perfundat, quasi ipsi hasta transfigamur? Porro alienum erat ab humano Graecorum ingenio nefaria scelera in scaena videre peracta, quare variis utebantur instrumentis poëtae scaenici, ut spectatoribus ea, quae intus facta erant, extra quasi per velum ostenderent. (Aliam causam affert Guentherus pag. 65). Ut autem nihilo minus commoverent spectatorum animos, nuntiorum narrationes ita componere solebant, ut illis ea compensarent, quae in scaena videre non licebat. Confer, quae Guentherus dicit p. 150. Iam supra dixi cum lucro haud exiguo hanc quaestionem tractari posse, dummodo respiciantur recentiores quoque poëtae tragici, 17. potissimum saeculi.

Deinde Ribbeckius Euripideae Electrae versus 883 sqq. affert

ἥκεις γὰρ οὐκ ἀχρεῖον ἔκπλεθρον δραμὼν
ἀγῶν᾽ ἐς οἴκους, ἀλλὰ πολέμιον κτανὼν
Αἴγισθον.

Quibus verbis Euripidem iterum significare Sophoclem Ribbeckius existimat. Quid dicit Bruhnius? ‚Non loquitur de equestri cursu, sed de pedestri.' Hoc quidem concedo; sed Orestes cursu quoque[1]) alios superavit et δρόμος vel ἀγὼν ἔκπλεθρος idem significat quod στάδιον „Rennbahn," cum Olympiis curriculum pedes sexcentos longum esset et πλέθρον contineret pedes centum. (Confer Med. 1190 sq. et de forma ἔκπλεθρος Lob. Phryn. pag. 414). Praeterea autem Bruhnius non recte praetermisit v. 884, tamquam si Electra diceret ἔκπλεθρον δραμών, cum Euripides dicentem eam faciat οὐκ ἀχρεῖον ἔκπλεθρον ἀγῶνα, quae verba non solum ad cursum equestrem vel pedestrem, sed ad certamen generatim referri possunt. Conf. Iph. Aul. 1456:

δεινοὺς ἀγῶνας διὰ σὲ δεῖ κεῖνον δραμεῖν.

‚At Sophocles de Pythiis loquitur.' Hoc quidem neglegere fortasse nobis licet, praesertim cum poëta ludos mira temporum licentia ipsa Orestis aetate factos esse finxerit.

Schultzius autem (‚vita Sophoclis,' cap. X., pag. 92) dicit ‚Ad Pythia vero in tota illa descriptione minus respectum est quam contra ad Olympiorum rationem expressam esse comparatio cum Pausania unumquemque docebit.' Sed omissis his omnibus ex ipsis Euripidis versibus certissime elucet eum irridere voluisse Sophoclem. Quanam causa Euripides adduci potuit, ut Electram fratrem alloquentem faceret his verbis: ‚Ades enim, non inutili in stadio cursu perfecto, sed hostis caedem assecutus Aegisthi?' Si quid omnino Euripides tyranni neci opponere voluit, quo consilio opposuit illum in stadio cursum, nisi eo, ut Sophoclem vituperaret?

Tum Ribbeckius Orestis Euripidei verbis (v. 883):

ἥκω γὰρ οὐ λόγοισιν ἀλλ᾽ ἔργοις κτανὼν
Αἴγισθον κτἑ.

repetitam Sophoclis vituperationem contineri concludit. Invenitur enim in fine Electrae Sophocleae longius Orestis atque Aegisthi colloquium (conf. Soph. El. 1483 sq.), quod Euripides certissime significare voluit. Confer quae Weckleinius dicit in recensione Bruhnianae commentationis supra allata: „Das Sicherste, was

---

[1]) Conf. Soph. El. 686 sq.

bisher in dieser Frage zu Tage gefördert ist, scheint uns die Beobachtung von Ribbeck zu sein, dass Euripides mit El. 893 den Redekampf zwischen Aegisth und Orest bei Sophokles im Auge habe.“ Nunc audias Bruhnium: ‚Concedo, si demonstratum esset praecedere fabulam Sophocleam, haud improbabile hoc futurum esse; sed demonstrari illud hinc ideo non potest, quia haec locutio (quae minime rara est) talem explicationem admittit tantum, non postulat.‘

Iterum Weckleinium invoco socium „Denn wenn auch die Redensart *οὐ λόγῳ, ἀλλ' ἔργῳ* häufig vorkommt, so hat sie doch überall die entsprechende Bedeutung, während an jener Stelle ohne die Annahme von Ribbeck kein rechter Zweck derselben ersichtlich ist.“

Tum Ribbeckius Sophoclem, si eius Electra secuta esset Euripideam, certe ea, quae Euripides melius instituisset, in tragoedia sua collocaturum fuisse dicit. Bruhnius: ‚Quid? si consulto aspernabatur, quae praeberet adversarius?‘ Cur Sophocles ea, quae Euripidi prospere successerant, non acciperet? Num positum erat in Sophoclis ingenio ea, quae alius melius fecerat, de industria praetermittere, quod illi aemulabatur? Aeschylum, quocum ei de praemio alacre erat certamen, studiose imitatus est — cur Euripidem non imitaretur? Meminerit Bruhnius, quantopere in posterioribus tragoediis Euripideum dicendi genus Sophocles secutus sit, consideret ipsum Sophoclem novas artis scaenicae leges invenisse! Cur igitur bona, etsi aliunde oriebantur, repudiaret, cum ipse summum studium impertiret tragoediae excolendae?

Bruhnius addit: ‚Et haec quidem . . . . ea sunt argumenta, quibus nititur eius (Ribbeckii) sententia; e reliquis ne ipsum quidem existimo certo concludere Sophoclis vestigia legisse Euripidem. Sunt nonnulla similia in Clytaemestrae et Aegisthi sacrificiis, sunt verborum similitudines haud leves inter utrumque poëtam; sed etiamsi certum esset alterum hic ab altero aliquid sumpsisse, uter ab utro mutuatus esset, ex his quidem rebus concludi non posset. Quod pertinet ad illas inter utrumque poëtam verborum similitudines, sermonem quem vocant tragicum esse inprimis tenendum est. Sermonem autem tragicum intellego hoc dicendi genus, quo poëtae tragici, cum ab Aeschylo accepissent, in fabulis utebantur, sed pro suo quisque ingenio. Unde multas verborum similitudines esse praetereundas iam vides. Sunt enim haec verba vel locutiones communia trium tragicorum, quare alterum hic ab altero sumpsisse aliquid dici non potest.

Talia sunt:

Soph. El. 668 *ἐδεξάμην τὸ ῥηθέν,*
Eur. El. 622 *προσηκάμην τὸ ῥηθέν,*
Eur. El. 1 *παλαιὸν Ἄργος,*
Soph. El. 4 *τὸ γὰρ παλαιὸν Ἄργος*

multaque alia.

Deinde eae verborum similitudines neglegendae sunt, quae inveniuntur in iis fabularum partibus, quibus idem subest argumentum.

Velut *κομμοί* Sophocleae et Euripideae Electrae saepe comparati sunt, non recte mea quidem sententia. Quaenam alia uterque poëta Electram pronuntiantem facere poterat nisi detestationes impiae matris, patris occisi lamentationes etc.?[1]) Tales igitur similitudines ad nostram quaestionem pro nihilo putandae sunt. Ne Ribbeckii quidem similitudinibus multum momenti attribuam. Velut affert

Eur. 579 *ἔχω σ' ἀέλπτως*
Soph. 1226 *ἔχω σε χερσίν;*
Eur. 581 *ἐκεῖνος εἶ σύ;*
Soph. 1222 *ἦ γαρ σὺ κεῖνος;*

Equidem putaverim Euripidem versus 579 et 581, etiamsi ante Sophoclem Electram composuisset, scripturum fuisse; est enim consentaneum fratrem et sororem, si multis annis post inter se amplectuntur, propter nimium gaudium dubitare, num revera mutuo sibi redditi sint. Non aliter res se habet in

Eur. 585 et Soph. 1234 sq.
Eur. 589 et Soph. 1266.

Pag. 321 dicit Bruhnius apparere propria quaedam in Sophoclis Electra, quibus discrepet a reliquis poëtae fabulis; dein explicari ea posse, si festinanter fabulam compositam esse sumamus. ‚Cuius festinationis iusta reperta erit causa, si nondum actae Electrae Euripideae argumentum novisse consiliumque cepisse Sophoclem statuerimus statim respondere adversario, i. e. si una cum Electra Euripidea Sophocleam ineunte a. 413. doctam esse sumpserimus.‘ Vides igitur Bruhnium mediocritatem quandam tenere dicentem utramque fabulam eodem tempore esse doctam, id quod revera leve est.

---

[1]) Confer etiam Soph. El. vv. 254 sqq. et Eur. El. vv. 300 sqq.

Equidem ab ingenio Sophoclis poëtae prorsus abhorruisse affirmem et ipsum componere Electrae tragoediam vel invidia adversarii vel gloriae cupidine, cum Euripidem idem argumentum fabula tractasse audivisset. Quae ratio omnino non est veri artificis, Sophoclis minime. Talis Sophoclis adversus Euripidem aemulatio non magis mihi videtur verisimilis, quam quae Bruhnius antea contendit aspernatum esse Sophoclem, quae Euripides melius instituerat. Et vix credibile videtur Sophoclem quidquam voluisse moliri, quod gloriae eius facile detrectare posset. Ceterum dubitare mihi liceat, num vel Sophocles, poëta ingeniosissimus, Electrae fabulam tam brevi componere potuerit.

Sed diligenter inspiciamus illa festinationis vestigia, quae Bruhnius in Sophoclis Electra invenisse sibi videtur.

‚Compluries in hac fabula deprehenditur Sophocles sui ipsius imitator. Nam vix scripsisset Electrae versus 472 sq.:

εἰ μὴ 'γὼ παράφρων μάντις ἔφυν καὶ γνώμας
λειπομένα σοφᾶς,

nisi chori versum 1086 scripsisset in Oedipo Rege:

εἴπερ ἐγὼ μάντις εἰμὶ καὶ κατὰ γνώμαν ἴδρις.

Concedo cum sententiarum tum verborum esse similitudinem et chorum loqui utroque loco. Sed nequeo intellegere, cur Bruhnius ob hanc similitudinem Sophoclem Electrae tragoediam properanter scripsisse contendat. Saepissime enim accidit, ut non soli poëtae, sed omnino artifices ex opere quodam priore idoneum aliquod in novum opus recipiant, quod ibi optimum tenet locum. Num ob hanc causam omnibus his artificibus, num Sophocli festinationem exprobrabimus? Minime. Non ideo scripsit Sophocles illos versus, quod ei novam cogitationem invenire non iam tempus erat, sed illa cogitatio quasi enata est ex rerum condicione, non repetita ex Oedipo Rege. Ceterum haud raro invenitur in chori canticis et verborum et sententiarum similitudo.

Quae porro affert Bruhnius? Vix imprecaturam fuisse Clytaemestram Apollinem (Soph. El. 637—659), nisi antea imprecata esset Iocasta (Oed. R. 919—923, non, ut Bruhnius scripsit, 911—923). Vides Clytaemestrae imprecationem continere versus 23, Iocastae versus 5. Num verisimile Bruhnio esse videtur poëtam qui temporis brevitate coactus totum locum ex priore tragoedia deprompsit, quinquiplicare huius loci versus?

Tertium autem Bruhnii argumentum hoc est. Electra et Chrysothemis eaedem sunt quae Antigona et Ismena. Commentationem novam necesse sit scribam, si hoc argumentum uberius refutare velim. Hoc quidem libenter Bruhnio concedo Antigonam et Electram esse virgines magnanimas, heroicas, quae est summa inter eas similitudo. Sed est Electrae magnanimitas multo maior, est acerba fere, ut potius summo studio Sophoclem Electrae personam ut aliam atque Antigonae redderet nisum esse dicendum sit, non festinasse. Progressus est igitur poëta in describendis Electrae moribus, non se ipsum imitatus est. Quin etiam ultra modum progressus esse nonnullis videtur viris doctis. Velut Queckius dicit pag. 45: ‚Euripides virgineam naturam feminecumque ingenium sapienter observavit, quum Sophocles terminos sexui femineo praescriptos paene excedere videretur.“ [1]) Severum Guentheri de Electrae Sophocleae moribus iudicium iam pag. 8 attuli. [2]) Ceterum non meum est diiudicare, utrum Sophocles in Electrae ingenio describendo modum excesserit necne. Id solum tenendum est Sophoclem certe non fuisse nisurum, ne Electra fieret Antigonae imago, si tempus eum defecisset.

Quae autem de Electrae sorore dici possunt? Omnes fere premunt Chrysothemidis ingenium molle, debile, infirmum, quale est Ismenae. Sed et ipsam Chrysothemin Sophocles Ismena acerbiorem reddidit meo quidem arbitrio, id quod unus Teuffelius vidit („Studien“, Lips. 1871, pag. 67 sq.). Flessa defendit Chrysothemin adversus Teuffelii iudicium pag. 45 ann., sed non subscribam sententiae eius. Nam ille Chrysothemidis ardor, de quo dicit Flessa, subito inflammatus est et paulo post exstinguitur, quare ingenium eius proprium nihil mutatur. [3]) Est igitur non eadem quae Ismena. Inprimis decorum respicit, quamobrem Electram acerbitate quadam vituperat, quod extra domum versetur (328 sq.) Similiter increpat Electram Clytaemestra (516), quam sequitur Chrysothemis. Sed aegre ferre videtur, quod discrepat ab ea soror; quare hanc quoque

[1]) Ceterum Sophocles Electram non omni humanitate sensuque muliebri privavit. Confer Bruhnium pag. 324 et Guentherum pag. 87.

[2]) Defenderunt Sophoclem Flessa (pag. 42), Wolffius (ann. ad v. 1415. et pag. 132).

[3]) Inprimis respice versum 944:

ἀλλ' εἴ τις ὠφέλειά γ', οὐκ ἀπώσομαι,

quo versu totum Chrysothemidis ingenium expressum esse dicas, sicut Electrae ingenium versu 945. Confer etiam vv. 330 sq., 335 sq., 338 sqq., 1021, 1024.

a matre stare vult, quasi animi conscientia excrucietur seque tranquilliorem esse sentiat Electra ascita socia (337). Soli inservit utilitati; nam equidem dubito, num versibus 333 sq. veram expresserit sententiam. Quin etiam humile eius ingenium esse dicat aliquis monstrans versus 379—382, ex quibus malevolentia fere quaedam elucere videtur. Prorsus non potest intellegere sororem sorte denuntiata non admodum perturbari, cum semet ipsam nimis diligere videatur (1005 sq.). Est igitur Chrysothemis non virgo tenera atque simplex, quae esse multis viris doctis videtur. Valde differt eius ingenium ab Ismenae ingenio, quare Bruhnio Chrysothemin imaginem esse Ismenae sororis dicenti non possum assentiri.

Electrae autem vv. 871—1057 expressos esse ex Antigonae versibus 1—100 dicit Bruhnins. Est hoc argumentum illorum Electrae versuum: Chrysothemis in tumulo patris cirrum invenit et, cum id signum esse fratris adventus opinetur, summo affecta gaudio confestim Electram adit advenisse Orestem nuntiatura. Cum autem ex sorore fratrem interfectum esse audierit absque illa, ut consociatae inter se vindictam perpetrarent, sit admonita, post longiorem altercationem decedit irata neque obsecutura Electrae. — Et in Antigonae tragoediae initio Antigona cum Ismena consilium communicat Polynicis fratris sepeliendi et sororem operi sociam se adiuncturam esse sperat. Haec autem suadet Antigonae, ut desistat ab incepto. Nihil aliud, si Creontis imperium neglexissent, quam suum ipsarum interitum esse se consecuturas. Qua ratione non commota Antigona solam se Polynicem esse sepulturam pronuntiat. Ismena plena sororis admirationis revertitur in aedes, Antigona eo contendit, ubi fratrem sepulturae expertem scit iacere.

Ex his ipsis summariis consequi mihi videtur Bruhnium iniuria Sophoclem hic sui ipsius fuisse imitatorem contendisse. A versu 947. Antigonae fabula congruit cum Electra, non, ut Bruhnius dicit, a versu 871; in illa enim nil legimus de laetitia quadam Ismenae falsa eiusque, ubi deceptam esse se vidit, maerore atque tristitia. ‚Reliquane igitur similia esse inter se concedis?‘ Ne hoc quidem absolute concesserim (nam lege et quae Ismena dicit decedens v. 98 sq. et quae Chrysothemis profert 1055 sqq.), multo etiam minus licere mihi persuasum est ex illa argumentorum similitudine id concludere, quod Bruhnius conclusit. Illi Electrae versus plus quam centum quasi excrescunt ex totius argumenti explicatione, ita servant artam cum ceteris tragoediae partibus perpetuitatem, ut paene anteponas Antigonae versibus 1—100. Nihil igitur imitationis huic quidem Electrae parti supponenda est, nihil festinationis Sophocli poëtae. Omnia enim videntur tanta arte praeparata, instituta, perfecta, Electrae et Chrysothemidis ingenia tam egregie depicta atque exculta, ut nostro iure Sophoclem huic sororum colloquio summum studium et aliquantum temporis impertivisse affirmare possimus. Nam ingeniosissimi poëtae et ipsi egent temporis auxilio ad ea secundum artis leges excolenda atque perficienda, quae eis divino Musae spiritu inflatis quasi fulgurum flammae in mentem inciderunt.

Iam vides Bruhnio non contigisse festinationis vestigia in Sophoclis Electra ostendere ex illa nonnullarum huius fabulae partium cum Antigonae locis perversa comparatione.

Postremo loquitur Bruhnius de ‚luminibus‘, quae in Sophoclis Electra invenisse se opinatur. Huic autem rei ne ipse quidem multum momenti attribuere videtur, id quod consequitur ex iis, quae dicit pag. 323. Age vero introspiciamus illa lumina! Intellegit autem Bruhnius lumen fabulae locum, qui a reliquis seiunctus suo fulgeat nitore quoque ‚prae ceteris inter legendum‘ permovearis. Velut affert ex Antigonae fabula Antigonae ad Creontem responsum et eiusdem θρῆνον. Tum pergit: ‚Vix autem aliter se res habet‘ (paulo ante alia lumina non inveniri in Antigona dixerat), in Aiace, Trachiniis, Philocteta, Oedipo Rege, minus in Oedipo Coloneo, ut tamen concludere possis solere Sophoclem non singulis quasi insignibus adlicere audientium animos, sed totius actionis perpetuitate et cohaerentia permovere.‘ Hanc quidem Bruhnii sententiam nemo non comprobabit; sed idem iudicium faciendum est de Electra Sophoclis. Et ii quoque loci, quos attulit ex Antigona, minime videntur seiuncti a reliquis tragoediae partibus, omnino in nulla Sophoclis tragoedia „lumina“ invenire potui. Primum dicit Bruhnius de equiriis. Et ipse hanc Electrae Sophocleae ῥῆσιν insignem esse libenter concedo cum versuum numero tum orationis splendore, sed non egreditur quasi oram tragoediae. Et talis est natura harum narrationum, ut, cum illis ea describerentur, quibus nos vehementer commovemur in scaenam productis, et argumento et dicendi genere differant a ceteris fabulae partibus; quare videntur esse seiunctae, cum revera non sint.[1])

[1]) Schoellius totam hanc narrationem interpolatam esse censuit; et ipse nonnulla falsario cuidam impertiverim. Idem Schoellius vituperat Sophoclem propter nimiam narrationis longitudinem, cum nihil aliud sit quam mendacium; ego cum Schoellio consentire non possum.

Deinde commemorat Bruhnius fabulae initium nescio quo iure. Pars est una ex maxime egregiis totius fabulae, est prooemium, quod ipsa Musa Sophocli donasse videtur; vestigia autem festinationis, perpetuitatis laesio, ab reliquis seiunctio ubinam sunt? Tum affert Clytaemestrae ad Apollinem imprecationem, Electrae ῥῆσιν, qua fratris morte audita dolores effundit, eiusdem θρῆνον. Nominet lumina: seclusa non sunt a reliquis, non turbant artificiosam argumenti explicationem, non vitio danda sunt Sophocli. — Praeterea autem commemorat Electrae cum Chrysothemide colloquia, quae si et ipsa significat lumina, nescio, quid Bruhnius luminis nomine velit intellegi. Si res sic se habet, ex ceteris quoque Sophoclis tragoediis multa possum afferre lumina, velut ex Antigona Haemonis cum patre colloquium (635—780), Creontis cum Tiresia altercationem, totam denique tragoediae ἔξοδον. Sufficiant haec tria exempla.

Ostendisse me puto Bruhnio hac ratione multo etiam minus contigisse in Sophoclis Electra vestigia invenire festinationis; nulla enim alia causa de luminibus locutus est. Opinatur enim Sophoclem propter brevitatem temporis satis habuisse fabulam suam talibus luminibus distinguere et illustrare, ut superno nitore interna fabulae vitia obtegeret. Miror, qua ratione Bruhnius adductus Sophocli tantam levitatem attribuerit. Potissimum enim admiramur in Sophoclis tragoediis omnium fabulae partium aequabilem inter se consensionem atque gradum subtilissimum, ita ut nihil alia praecurrat, sed alterum efferat alterum. [1])

Non igitur festinavit Sophocles in componenda Electrae fabula: ergo Bruhnii de anno, quo Sophoclis fabula docta sit, sententia quin cadat in irritum, fieri non potest.

N u n c W i l a m o w i t z i i c o m m e n t a t i o n e m t r a c t a b o. Quibus de causis Wilamowitzius Sophoclis Electram posteriorem esse putat?

Hac in re potissimum tenendum est Wilamowitzium causas in ipsa argumenti explicatione positas multo magis quaesivisse quam repetitas ex rebus singulis extrinsecus allatis. Ex ipsa Sophoclea fabula posteriorem eam esse demonstrare vult.

[1]) Queckius in Euripidis Electra invenisse se dicit nonnullas orationis asperitates, quae festinationis indicia significari possint (pag. 72). Et H. Steinbergius ‚de interpolatione Euripideae Electrae' pag. 3 et 5 in hac fabula (inprimis in prologo et in epilogo) tot invenit vituperanda, ut interpolationes subesse non paucas persuasum ei sit.

Pag. 221 scribit: „Die Aehnlichkeit der Anlage mit Sophocles springt in die Augen. Prolog des Orestes, Klagelied Elektras, Auftreten des Chores ist beiden gemeinsam." Singerus haec Wilamowitzii verba non perspexisse mihi videtur. Nam scribit pag. 65: „Stellen wir das sophokleische und euripideische Stück nebeneinander, so sieht jedermann auf den ersten Blick den ungeheuren Unterschied in der Anlage dieser beiden Dramen", et explicat haec verba monstrans Electrae atque Orestis apud utrumque poëtam diversissima ingenia. Tantae stultitiae Wilamowitzium non incusare debuit Singerus. Nam ille verbis supra allatis nihil nisi hoc voluit significare in utraque fabula eundem esse ordinem Orestis prologi, Electrae θρήνου, παρόδου chori. Singerus autem has tres partes separatim tractavit, id quod consequitur ex iis, quae dicit pag. 64 sq.: „Das Auftreten des Chores ist beiden gemeinsam." Was soll damit gemeint sein? Natürlich tritt auch bei Euripides, so unbequem derselbe ihm auch sein mochte, der Chor ebenso wie bei Sophokles auf." Quibus verbis [1]) Singerum iterum Wilamowitzium vituperare facile est intellectu. Is autem quid concludit ex eodem illarum trium partium ordine? „Es ist ganz und gar ausgeschlossen, hier eine zufällige Uebereinstimmung anzunehmen. Wer aber dem anderen Vorbild gewesen, darüber kann man nicht im Zweifel sein, sobald man bemerkt, dass, was bei Sophokles ganz äusserlich und unmotiviert ist, bei Euripides in natürlichem und notwendigem Zusammenhang steht." Mihi autem illa similitudo, de qua loquitur Wilamowitzius, fortuita esse videtur. Quidnam probabilius est quam in fabula, qualis est Electra, primum vindicem caedis Agamemnoniae in scaenam prodire, deinde sororem, cuius patris interfectores supplicio affici maxime interest, tum chorum? Ceterum Wilamowitzio non plane assentiri possum dicenti: „Prolog des Orestes . . . . ist beiden gemeinsam." Nam in Euripidis Electra Orestes post 81. demum versum prodit, et poëtae multo magis cordi erat per colonum spectatores certiores facere, quo modo fabulam mutasset. — Demonstrare autem studet Wilamowitzius Sophoclem fuisse Euripidis imitatorem his argumentis: „Das Auftreten des Chores (in Sophoclis Electra) ist überhaupt nicht motiviert." (pag. 215). Singerus Sophoclem hunc in modum defendit (pag. 70). Chorum e

[1]) Quae dicit Singerus de Electrae cantu lugubri atque chori in orchestram ingressu, ea non puto necessarium esse afferre, cum sic quoque, quantopere erraverit, satis patere videatur.

longinquo audire lamentationes Electrae, quae paulo ante in publicum prodierit. Misericordia captas advolare mulieres Electram consolaturas. Ergo Sophoclem chori adventus causam attulisse.

Sed chorus, ubi loqui coepit, ne commemorat quidem ad consolandam Electram se venisse neque consolatur primum quidem, sed rogat, quare queri non desinat. Verum solacium inest in versibus demum 153 sqq. Nihilo minus Sophocles omnis criminis absolvendus est. Dicit profecto chorus, quare Electram adierit v. 251 sq.:

ἐγὼ μέν, ὦ παῖ, καὶ τὸ σὸν σπεύδουσ' ἅμα
καὶ τοὐμὸν αὐτῆς ἦλθον . . . . [1])

Venit igitur chorus, ut cum Electra de tota rerum condicione colloqueretur et hoc consilio appropinquavit ad aedes. [2]) ‚At minime videtur esse veri simile chorum cur venerit causam afferre, cum loqui paene desiit.' Quam difficultatem hoc modo tollam. Venit chorus illo, quod modo commemoravi, consilio. Cum autem propius aggressus Electram magna voce clamantem audiat, propositum differt et virginem consolans totum se in eius potestate esse declarat, cum statim perspexerit Electrae animum ita esse commotum perturbatumque, ut de nulla re moderate et tranquille loqui posset (conf. 254 sqq.).

Et, ut opinor, videtur artificis vere liberi esse id quod Sophocles (non obsequens probabilitatis legi, ut Euripides,) chorum adventum suum antea non facit excusantem.

Sed etiam alia ratione Sophoclem defenderim, si quae modo attuli neges esse verisimilia. Et repeto quidem argumenta e natura chori.

Liceat mihi ex commentatione, quam abhinc nonnullos annos composui, quaedam afferre, quae hoc quidem loco non videntur esse inepta. „Der Chor hatte bei den griechischen Tragikern gewissermassen eine doppelte Rolle zu spielen, die eines fühlenden Menschen und die des personifizierten Volksbewusstseins. Als Mensch leidet er und freut sich mit den Personen des Trauerspieles, als Vertreter der öffentlichen Meinung nimmt er einfach Act von dem, was er auf der Bühne geschehen sieht, ohne sich seiner Stellung über den

[1]) Conf. Muffii librum, qui inscribitur „die chorische Technik des Sophokles" p. 127.

[2]) Quod pertinet ad verba καὶ τοὐμὸν αὐτῆς, confer G. Wolffii annotationem ad. v. 251.

Parteien zu begeben. In diesem Sinne ist er sozusagen nur eine Allegorie, gleichsam körperlich nicht anwesend. Daher die nicht seltene Erscheinung, dass die gerade auf der Bühne befindlichen Schauspieler von seiner Anwesenheit gar keine Notiz nehmen, daher sein feierlicher Einzug, die abgemessene Grandezza seiner Bewegungen. [1]) Wie aber der Chor zu dieser seltsamen Doppelstellung gekommen ist, ist unschwer einzusehen. Es ist ja bekannt, dass in der alten Tragoedie die Chorgesänge die Hauptsache gewesen sind. In der späteren Tragoedie verhielt sich die Sache genau umgekehrt. Es hängt dieser Umschwung teils mit der fortschreitenden Entwicklung des Dramas, teils mit der wachsenden geistigen Reife des griechischen Volkes zusammen. Früher leistete der Chor hochwillkommene Dienste, um nach jedem Epeisodion die aufgeregten Gemüter zu beschwichtigen. Uns Modernen wäre es geradezu unerträglich, nach einem effektvollen Aktschluss den vom Dichter erzielten Eindruck in dieser Weise zerstört zu sehen. Etwas Aehnliches scheinen auch die späteren Griechen empfunden zu haben. Sie, Dichter wie Publikum, verspürten schon kein sonderliches Verlangen mehr, die objective Heiterkeit des Geistes durch einen Chorgesang hergestellt zu sehen. Sie wünschten, wie wir, dass die dramatische Erregung energisch sich steigere, bis zur Katastrophe, die entweder Erlösung oder Untergang, in beiden Fällen aber Befreiung von einem drückenden Alp brachte. Zur Erreichung dieses Zieles wäre es allerdings das Einfachste gewesen, den Chor ganz über Bord zu werfen. Aber der war ein noli me tangere, geschützt durch die Religion. Und so schleppte man ihn denn mit als notwendiges Uebel, als ehrwürdiges Erbstück aus vergangener Zeit. Aber die Dichter suchten dem Bedürfnisse dadurch Rechnung zu tragen, dass sie dem Chore einen Anstrich grösserer Selbständigkeit zu geben sich bemühten. Sie lassen ihn hie und da aus seiner Reserve heraustreten, indem sie ihm den Ausdruck einer wärmeren Empfindung in den Mund legen. Sie suchen ihn interessanter zu gestalten, indem sie ihn zum Interpreten ihrer eigenen Anschauungen über die Religion, den Staat machen, was besonders Euripides gerne gethan hat. Eben derselbe liebt es auch, seinen Chor ganz

[1]) Quare Singerum non possum laudare dicentem: „Von Mitleid ergriffen eilen die Frauen herbei" etc. Ceterum saepe inveni fabularum editores non solum choro, sed etiam actoribus agilitatem attribuere, quam ut habeant prorsus non potest fieri pro toto et chori et actorum habitu.

reizende kleine mythologische Idyllen erzählen zu lassen, z. B. in der taurischen Iphigenie. Endlich verwickeln sie ihn mit den handelnden Personen in Konflikt, so dass er nur mehr eine Person zu sein scheint. Weiter konnten sie nicht gehen. Der Chor blieb trotz aller Neuerungen doch der Chor, steif und abgemessen in seinem Aufmarsch, feierlich und kunstvoll in seinen Evolutionen.

Es war nun eine Hauptaufgabe des tragischen Dichters, diese beiden Seiten des Chores harmonisch in einander zu verschmelzen. Das hat besonders Sophocles in wundervoller Weise verstanden . . . ."

Facile ex hac explicatione consequitur, si poëta chorum sine ulla causa prodeuntem facit, hoc non licere crimini vertere poëtae.[1]) Habet autem chorus in Sophoclis Electra, cur per totam fabulam in scaena maneat. Eget enim semper consolatione Electra, inprimis cum summum ei accidit malum nuntio fratris mortui allato. Locis, quos affert Singerus pag. 71, adiungo primum *κομμόν*, secundum chori *στάσιμον*, vv. 1171 sqq. etc.

Nunc videamus, quae alia displiceant Wilamowitzio in choro Sophoclis. Dicit nonnullas difficultates Sophoclem fuisse evitaturum, si Aeschylum secutus chorum elegisset ex ancillis, non ex sodalibus Electrae. Singerus dicit pag. 74: „Wie wenig zeigt es von Geschmack, von Sophokles verlangen zu wollen, dass er wie Aeschylus seinen Chor aus kriegsgefangenen Dienerinnen hätte zusammensetzen sollen!" Sed Wilamowitzius omnino non loquitur de servis bello captis. An opinatur Singerus omnes in Agamemnonis aedibus servas bello esse captas? Singeri autem verbis haec addiderim. Num servas domus

[1]) Singerus postquam Sophoclem quoad potuit, contra Wilamowitzium defendit, Euripidis rationem aggreditur. Quae profert, neglegerem, nisi, ut opinor, falsa essent; quare brevissime tractare liceat mihi. Scribit pag. 65: „Die argivischen Jungfrauen laden . . . . Elektra zum Herafeste ein. Aber in welchem Zusammenhang steht eine solche Einladung zum Vorhergehenden ... ? Auch nicht im geringsten." Bene cohaeret haec chori invitatio cum eis, quae antecedunt. Audiverant enim puellae Electram querendo atque lamentando paene esse contritam, quare consilium ceperunt Electrae ad diem festum invitandae, ut reviviisceret et aliquantulum quidem temporis irae oblivisceretur atque doloris. Ea autem, quae addit Singerus: „Der Einladung scheint fast nur das simple Motiv zu Grunde gelegen zu sein, Elektra in eklatanter Weise in Erinnerung zu bringen, dass sie schlechte Kleider besitze, die es ihr verbieten, der Einladung Folge zu leisten," absurda esse mihi videntur. Nam vv. 191 sqq. chorus Electrae vestimenta offert ornatumque, id quod certe non fecisset, si voluisset illam illudere, et ne minimam quidem illusionis speciem produnt versus 168 sqq.

regiae otium habuisse verisimile est ante portas cum Electra colloquendi? Num Singerus Electram regiae dignitatis tam immemorem fuisse putat, ut cum servis communicaret ea, quae imis erant ei inclusa medullis? Et servae utique Clytaemestram sequebantur causis perspicuis. — Putat autem Wilamowitzius chorum ex virginibus constare, quae opinio mihi quidem videtur admodum mira. Singerus pauca dicit de hac re (pag. 74) addens: „Uebrigens wollen wir diese Frage auf sich beruhen lassen."

Exstat quidem in personarum indice *χορός παρθένων ἐπιχωρίων*. Sed omnes fere editores *παρθένων* esse calami lapsum censuerunt et ipse scholiasta annotat ad v. 121: *πάροδός ἐστι χοροῦ γυναικῶν*. Sed omittamus haec; est enim res luce clarior. Quam saepe alloquitur chorus Electram voce *παῖ*! (v. 121, 251, 464 (*κόρη*), 827, 1230 etc.) Num decet haec appellatio virgines, quae fortasse Electra etiam minores sunt natu, adversus regis filiam? Nonne omnia, quae dicit chorus, eiusque gravitas coniuncta cum clementia matronas monstrant? Velut respice chori moderantiam adhortantis Electram, interfectores Agamemnonis exsecrantis. ... *εἴ μοι θέμις τάδ' αὐδᾶν* (127) addit verecunde. Tantopere autem iram iustam virgines retinere non possunt. Omnia chori consilia vel admonitiones plane consentanea sunt rationi (conf. vv. 990 sq., 1015 sq., 1171 sqq.), quin etiam ieiuna, id quod pariter significat mulieres.

Nonnunquam *τέκνον* appellat chorus Electram (v. 153, 173). Gravissimum autem argumentum contra Wilamowitzii opinionem praebent versus 233—234:

ἀλλ' οὖν εὐνοίᾳ γ' αὐδῶ,
μάτηρ ὡσεί τις πιστά.

Quam ridicula esset haec imago, si chorus ex virginibus constaret! Quam absurda essent talia verba in puellarum ore! Constat igitur Sophocleus chorus ex mulieribus et rectissime hoc instituit poëta.

Nam in tali tragoedia, qualis est Electra, choro munus suscipiendum est grave atque difficile. Quodsi Sophocles virginibus commisisset, male peritum fuisse eum humanae naturae dicere nobis liceret. Unum addere velim. V. 251 sq. chorus dicit:

ἐγὼ μέν, ὦ παῖ, καὶ τὸ σὸν σπεύδουσ' ἅμα
καὶ τοὐμὸν αὐτῆς ἦλθον.

Ad verba *τοὐμὸν αὐτῆς* Wolffius recte annotat: „Dem Volke, demnach auch dem Chor, konnte es nicht gleichgiltig sein, dass ein

unrechtmässiger Herrscher auf dem Throne sass und dass Blutschuld auf dem Lande haftete.“ Si omnino virorum est rempublicam et salutem communem curare, minime virgines talia attingere decet. — Et hoc quoque afferre mihi liceat. Tene fugit, quam libere tractet fabulae personas chorus? Confer vv. 369 sqq., 464, 610 sq. Postremo respice, quomodo se gerat chorus in interficiendis Clytaemestra et Aegistho (1437 sqq.) Hic prorsus non potest cogitari de puellis. Et cantica chori spirant tantam animi fiduciam tantamque tranquillitatem, quantam nullo modo puellis inesse concedi potest. [1])

Aliam Wilamowitzii sententiam: „Elektra nimmt seinen (chori) Zuspruch als selbstverständlich hin, ohne Gruss und ohne Frage“ Singerus bene refutavit pag. 71. Salutat Electra chorum v. 129 sq. et quid interroget eum? Neglexit autem Singerus, quae addidit Wilamowitzius: „Nach dem Liede (251 sqq.) konstatiert der Chor lediglich, was wir schon wissen.“ Equidem ignoro, quid Wilamowitzius his verbis dicere voluerit. Versus enim 251—253 ne minimam quidem reprehensionis ansam praebent.

Dicit chorus: ‚Veni propter salutem sollicita et tuam et meam. Sed si recte loqui tibi non videor, tu vince; nam te omnes sequemur.‘ Nihil igitur chorus dicit, quod iam sciunt spectatores et etiamsi scirent, id non ineptum esset, cum chorum minime dedeceat, in *κομμοῦ* fine rursus, qualis sit suus adversum Electram animus, manifestare.

Wilamowitzius pergit inexorabiliter Sophoclem lacerare. Dicit: „Und doch können die Mädchen nur ausnahmsweise mit ihr verkehrt haben, denn dass sie vor die Thüre hat kommen können, ist ja ein besonders motivierter Fall; und doch haben sie auf diesen glücklichen Umstand nicht rechnen können, denn sie hören erst von Elektra, dass Aegisthus verreist sei.“ Hac ratione de philosopho, ut opinor, non de poëta iudicari potest. Vituperat Wilamowitzius Sophoclem, quod chorus multo post adventum suum Aegisthum non domi esse ex Electra audit. Singerus recte hoc perspexit pag. 71; sed quae pag. 72 profert contra Wilamowitzium, ea ipsam rem ne tangere quidem mihi videntur. Dicit enim mulieres v. 310 sq. Electram ideo interrogare, utrum Aegisthus absit necne, quod timeant, ne Electra, si Aegisthus verba eius audiverit, gravem libertatis poenam luat.

[1]) Bruhnius pag. 320: ‚neque illud certum est e virginibus eum (chorum) constare (non minus bene de matronis cogitari potest).‘

Neque chorum uberius de illis rebus cum Electra colloqui ausum esse, donec ex ea Aegisthum esse profectum audiverit. Sed non id agitur, quod chorus hoc ipso loco interrogat Electram, sed quod non iam pridem interrogavit. Iam supra dixi meo quidem iudicio non licere poëtae opus medici more quasi cultro critico dissecare. Cavendum est nobis, ne a poëta postulemus, ut omnium actionum causas subtilissimas afferat, ut omnia nobis quam maxime reddat probabilia. Hoc est rerum scriptoris, non poëtae. Concedi debet ei, ut res spectatoribus monstret quasi per velum neque nobis licet subtilem artificis telam manibus asperis discerpere quaesituris, num quae poëta nobis producit sint probabilia. Cuius rationis poenam ipsi luere deberemus, quod nos omni delectatione, qua legendis poëtarum operibus affici solemus, nostra sponte privaremus. Non opus esse addere puto de exiguis oeconomiae vitiis me loqui, non de gravibus, quae et ipsi poëtae vitent necesse est. Ceterum ne potest quidem committere gravia oeconomiae vitia poëta verus, cum ingenio quod inest in eo, quominus committat, impediatur. ‚Ergone supervacaneum esse putas Sophoclem contra Wilamowitzium defendere?‘ Equidem non iam opus esse contendam. Primum enim opinor levia quaedam condonanda esse poëtae, qui nos summa venustate atque elegantia delectare non desinit. Deinde supersedeam, ne semper Sophoclem laudare videar. Equidem prorsus noluerim iis adnumerari me, qui Euripidis sola vitia, non virtutes videant. — Sed si proferre me velis aliquid ad Sophoclem defendendum, dixerim chorum Aegisthum abesse animo cogitasse, cum Electram conspexisset versantem ante portas, id quod certe non licebat ei praesente tyranno (conf. v. 312 sq.). Confer v. 517 sq. Porro chorus ex iis, quae Electra dicebat, ab Aegistho nihil esse metuendum intellegere potuit.

Nam non ignorabat Electram, qua erat providentia, tam vehementer patris interfectores non aggressuram fuisse, nisi Aegisthum ruri esse scivisset. Et si chorus postea v. 309, ubi Electra queri paulum desiit, de Aegistho eam percontatur, quale futurum sit responsum, certe scit. Et profecto miratur Electra hanc chori interrogationem. Confer v. 312 sq.

Unum praeterea afferre debeo. Iniuria Wilamowitzius dicit: „Denn dass sie vor die Thüre hat kommen können, ist ja ein besonders motivierter Fall.“ Putatne Wilamowitzius Aegisthum rarissime rus ire solitum esse? Equidem saepe hoc eum fecisse opinor, neque

hac occasione Electra uti cunctabatur ventis saltem narrandi miseriam suam. Confer quae dicit Chrysothemis v. 328 sq.

τίν' αὖ σὺ τήνδε πρὸς θυρῶνος ἐξόδοις
ἐλθοῦσα φωνεῖς . . . . . φάτιν;

et Clytaemestrae verba v. 517:

ἀνειμένη μέν, ὡς ἔοικας, αὖ στρέφει.

Consequi videtur ex his verbis Electram haudquaqam raro solitam esse e domo egredi.

Wilamowitzius nondum dimittit Sophoclis chorum. Scribit enim pag. 217: „Der Chor singt ein Lied, welches neben der Hoffnung auf Rache doch auch eine Mahnung an den Geschlechtsfluch des Atridenhauses enthält. . . . Es ist einleuchtend, dass die Berührung des Fluches nicht nur ohne wesentliche Bedeutung, sondern geradezu eine Störung ist. Denn da Sophokles die That des Orestes für durchaus löblich und Gott wohlgefällig hält, so sollte jede Reminiszenz an die Sagenform, welche den Muttermord verurteilt, billig vermieden werden. Aber die Macht der Tradition, welcher der Dichter sich sonst entzog, war hier stärker als er, und so blieb eine Andeutung des ehemaligen Zusammenhanges stehen."

Quantum ego perspicio haec Wilamowitzii verba (quae Singerus silentio praetermittit), dicere voluit exsecrationis, qua premitur Atridarum domus, mentionem non convenire sententiae, quae tota Sophoclis fabula exprimitur, matricidium posse excusari. Quidni conveniat? Certe Sophocles in Electrae tragoedia sententiam exponere voluit Orestis factum esse laudabile, cum a deis probatum esset. Sed Sophocles humanitatis quoque rationem habere voluit et optime ei contigit ea quae fas esse putabat cum humanitatis praeceptis coniungere. Concedit chorus licere matrem interficere, auctorem tantorum scelerum. Tamen non potest non dolere[1], quod gens, quae tam potens antea fuerat tamque felix, exsecrationis mole quasi in voraginem perniciei detrahatur (confer v. 1413 sq.). Et cum denuo grave fatum Pelopis immineat posteris, chorus ingemiscens causas repetit omnium malorum quae grassantur per gentem Tantali quasi hereditate tradita. Pelopem autem commemorat chorus, quod is demum in Graecia imperium constituit. Laudandus igitur est Sophocles, non vituperandus. Omnino totum hoc chori canticum (vv. 472—516) angore quodam et sollicitudine nos afficit. Sperat

[1]) Confer quae de choro dixi pag. 28 sqq.

quidem chorus vindicem venturum esse; sed sperat non ut homo laetus cupidusque futurae fortunae. Potius dirum aliquod videtur horrere, quod quasi accedens videt. Numeri quoque optime conveniunt naturae huius carminis, cui fatum tamquam umbra incubare videtur.

Neque ea comprobare possum, quae Wilamowitzius de fabularum traditarum vi dicit. Nequeo intellegere, quid significent verba „welcher der Dichter sich sonst entzog." Equidem puto Sophoclem fabularum traditarum vi neque superiorem neque inferiorem fuisse. Sed respiciebat fabularum traditionem, si apta ei esse videbatur ad id, quod consequendum in tragoedia sibi proposuerat; si non, neglegebat. Wilamowitzii autem si sequemur auctoritatem, ut putemus cogemur Sophoclem fabularum traditionem modo superasse, modo ei oboedivisse, id quod non dignum esse videtur vero poëta.

Haec sunt, quae Wilamowitzius in Sophoclis choro vituperanda invenit.[1]) Quae omnia documento ei esse videntur Sophoclem in hac re Euripidis exemplar esse secutum. Est sane imitator semper inferior eo, quem imitatus est. Puto autem Electrae chorum omni crimine me liberasse: ergo non imitatus est Sophocles Euripidem.

Nunc transeamus ad Orestis in prologo expeditionem. Nam ad hanc quoque Wilamowitzius multa exprobrat Sophocli demonstraturus iterum Euripidis vestigia eum legisse. Dicit pag. 222: „Bei Sophokles ist im Grunde genommen . . . . die Expedition des Orestes im Prolog ohne Zweck." Idem profert iudicium in ipso commmentationis initio, ut Sophoclem in ipso prologo servi more Euripidem imitatum esse ostendat.

Priusquam singula accuratius consideramus, generale argumentum Wilamowitzio opposuerim. Equidem existimo Sophoclem, si profecto Euripidem voluisset imitari, prologum Electrae aliter potius quam secundum Euripidis exemplum compositurum fuisse.[2])

Dicit Wilamowitzius pag. 214: „Orestes und der bereits verkleidete Paedagoge[3]) kommen vor das Königsschloss des Agamemnon

[1]) Idem iudicium profert pag. 236.

[2]) Bruhnium pag. 321 similia praebere postea vidi.

[3]) . . . *οὐδ' ὑποπτεύσουσιν ὧδ' ἠνθισμένον* (v. 43) exhibet L. Hoc *ἠνθισμένον* viri docti varie interpretantur. Cogitari potest aut de floribus, quibus ornatus paedagogus procedit laete nuntiaturus Clytaemestrae et Aegistho (sic Bothius) aut de senili capillorum colore (sic Wolffius), id quod magis mihi probatur, Alii de coniecturis cogitaverunt, velut Meinekius *ἠσκημένον* (scholiasta: *δοκεῖ οὖν μοι τὸ ἠνθισμένον ἀντὶ τοῦ ἠσκημένον*), Elspergerus *ἠσθημένον* (conf. Eur. Hel. v. 1539).

und besprechen ihren Plan, den sie beide schon wissen;[1]) die Urne, deren sie dazu bedürfen, haben sie irgendwo in einen Busch gestellt, man sieht nicht recht, weshalb.“ Singerus bene refutat Wilamowitzium pag. 66. Fortasse debuit commemorare vv. 29—31, quibus Orestes paedagogo, quae facienda sint, breviter et accurate explicat. Unum tantum addiderim. Interroges, quare Orestes consilium non prius cum paedagogo communicaverit, cum una fecissent iter. Non erat necesse paedagogus prius initiaretur caedis consilio, cum, quae erant constituenda, celeriter transigi possent.[2]) Erat autem paedagogus servus, quem nulla cum domino consuetudo deceret familiaris. Ceterum ex ipso primo tragoediae versu paedagogum condicionis suae humilis semper fuisse memorem intellegimus.

Quod autem pertinet ad urnam simulatum Orestis cinerem complectentem, Singerus admodum obscure disserit pag. 67: „Liegt doch die Erklärung dieser Massregel auf der flachen Hand.“ Cur igitur non explicavit? Equidem hunc in modum explicem. Ridiculum fuisset, si Orestes urnam manibus semper tenuisset. Cur enim teneret, si non egebat ea? Quid igitur aliud potuit facere nisi abscondere aliquo urnam, donec ea egeret? Praeterea equidem tota expeditio in summum discrimen ut vocaretur futurum fuisse existimo, si urnam portans conspectus esset.

Wilamowitzius autem totum Electrae prologum aspernatur: „Der Zweck des Prologs ist ein lediglich theatralischer.“[3]) Quam sententiam nego esse veram. Comperiebant quidem spectatores prologo eas res, quarum cognitio opus eis erat, ut reliqua percipere possent. Sed cum poëta prologo spectatores docet rerum condicionem, simul obsequitur legibus elegantiae. Nihil scripsit poëta solorum causa spectantium, semper hac in re aliquid assecutus est ad venustatem poëticam. Velut in ipso tragoediae initio ostendit paedagogus alumno suo vetus Argos, Iunonis templum, aedes patris, unde infantem eum e vitae periculo eripuerat. Nonne hoc est initium tragoediae egregium? Simul autem, quis sit locus, spectatores certiores fiunt.

Orestes et paedagogus prima luce in patriam revertuntur.

[1]) Eandem sententiam repetit Wilamowitzius paulo infra: „Die Zuschauer sollen erfahren was sich die beiden ohne Not erzählen.“ Quare Singerus iniuria dicit pag. 69 de his verbis: „Wir gestehen, einfach nicht zu begreifen, was Wilamowitzius mit denselben hat sagen wollen.“

[2]) Profecto hoc non multis versibus fieri videmus.

[3]) Bruhnius eodem quo Wilamowitzius errore captus est (pag. 322).

Iacet ante oculos Orestis arx regia, ubi natus erat primosque infantiae annos degerat. Iacet tranquilla, plena pacis: et tamen abundat lamentationibus, caede, sceleribus. Omnia tacent; aves solae cantare incipiunt excitatae e somno solis calore orientis. Adde his Graecum caelum Graecamque regionem: senties, quae Orestes illo quidem tempore et talia oculis intuens imo pectore senserit. Multis annis ante fugerat ex domo patris: rursus videt eam, sed quali condicione? Pater interfectus ultionem flagitat et filii est eam perpetrare. Plane occupatus variis animi affectationibus stat, donec paedagogus ex hac oblivione quasi eripit eum admonens id quod effecturi venerint. Num quis contendet prologum prorsus inservire rei scaenicae?

„Die Wanderung zum Schlosse kann .... nur geschehen sein, um die Sehnsucht des Orestes, die heimatlichen Stätten wieder zu sehen, ein paar Stunden früher zu befriedigen.“ Quales ineptias Wilamowitzius Sophocli attribuit! Iter fecerunt tres viatores ad domum regiam loci condicionem exquisituri.[1]) Quod Orestes usus data occasione aedes patrias rursus aspicere voluit, quis crimini ei hoc vertet? ‚At satis temporis habuisset postea, ubi venturus erat urnam tenens manibus.‘ Equidem prorsus hoc abnuerim. Nam plane aliis cogitationibus mens eius tum erat capta. Veniebat ultoris fungens officio Apollinis iussu, exuta omni humanitate. Quare antea amori patriae domus satisfaciendum ei erat, multo mane, ne quis civis obviam ei iret.

Ostendisse mihi videor hanc clandestinam trium peregrinorum migrationem Sophoclem minime tantum spectatores docendi causa finxisse.

Sed nondum omnes coniecit sagittas Wilamowitzius in prologum: „Als im Schlosse ein Klageruf laut wird, meint der Paedagoge, ohne dass man den Grund einsieht, eine Sclavin hätte gerufen. Orestes vermutet, es sei seine Schwester; gleichwohl gehen sie schleunigst ab, um am Grabe Agamemnons zu opfern.“ Quae Singerus contra haec Wilamowitzii verba dicit pag. 67 sqq., optimam eius commentationis partem esse puto, nisi quod in una re errasse mihi videtur. Scripsit enim pag. 67: „Befremdete es vielleicht Wilamowitz, dass Sophokles an unserer Stelle vom gewöhnlichen Gebrauch, die neu auftretende Person ganz unvermittelt durch ein blosses ἀλλ᾽ εἰσορῶ γὰρ und ähnliche Redewendungen einzuführen,

[1]) Hoc argumentum Singerus affert pag. 67.

abwich und in echt künstlerischer Weise die lebhafteste Sympathie der Zuschauer für seine Heldin bereits vor deren Erscheinen zu erwecken verstand?“ Quisnam hic dicit de nova persona in scaenam proditura? Num voluit Sophocles spectatores monere Electram apparituram esse in scaena ab omnibus relicta? Non esset poëtae magnae laudi, si illis versibus, quorum pulchritudinem Singerus optimo iure praedicat, nihil nisi alia ratione novam personam in scaenam esse prodituram spectantes docere voluisset. Neque omnino necesse erat Electrae in scaenam adventus nominatim nuntiaretur, cum spectatores, quae esset certe statim intellegerent, id quod et ipse Singerus dicit pag. 68. Ceterum similitudinem quandam esse contendam Electrae atque Orestis adventus. Orestem enim poëta spectatoribus quasi ostendit ad portendenda ea quae mox sequerentur; postea venit patrem ulturus. Simili modo spectatores Electram clamantem audiunt, priusquam apparet. Venuste instituit poëta in ipso fabulae initio fratrem sorori, quamquam sese non vident, appropinquare, qua ratione *ἀναγνώρισις* postea sequens quasi adumbratur atque praeformatur.[1])

Wilamowitzius non verisimile esse censet Orestem audita illa doloris exclamatione statim Electrae reminisci. Potest autem facile defendi Sophocles. Num Oresti sororis in mentem venisse prorsus alienum est a probabilitate? Num erat verisimile servam quandam prima luce de sorte sua esse questam? ‚Consentisne igitur Wilamowitzio?‘ Consentio. Non puto de serva cogitari licere. ‚At cogitavit paedagogus!‘ Non autem dixit, quae re vera sentiebat. Nam non ignorabat Electram alicubi adesse. Sed cum Orestem hoc quidem tempore obviam ire Electrae nollet, veram sententiam illum celavit. Quod autem Oresti, ubi clamorem audivit, statim Electrae in mentem venit, non mirum esse videtur. Certe enim Orestes iter faciens permulta verba de sorore fecerat deque eius fortuna. — Postremo Wilamowitzius prologum iterum improbat his verbis: „Diesem Bedürfnis („der Zuschauer soll erfahren, was sich die beiden ohne Not erzählen“), genügt der Prolog, gerade so gut

[1]) V. 77 Dindorfius *δύστηνος* delevit, ‚quod ex v. 80 intulit librarius minus assuetus mori tragicorum. *Ἰώ μοί μοι* dicere solent qui in scaenam prodeunt fortunam suam lamentantes.‘ Equidem Dindorfii sententiam non probaverim. Nam Electra aliquanto post illam exclamationem prodit in scaenam, quin etiam post v. 85 scaenam aliquantulum temporis plane vacuam fuisse existimo.

und so schlecht wie die geringeren euripideischen Prologe.“ Sophoclem prologum composuisse non sola spectatorum habita ratione supra ostendisse mihi videor. Nova autem est prologi Sophoclei cum Euripideis maligna comparatio. Utinam optimis Euripidis prologis comparasset! Inspiciamus, si libet, Euripidearum fabularum prologos!

1) Alcestis. — Versus 1—21 tantum spectantium causa poëta composuit. Prologus exiguus esse videtur. Appollinis cum Morte controversia non caret vi quadam comica, id quod poëta fortasse de industria sic instituit.[1])

2) Andromacha. — Versibus 1—56 spectatores comperiunt, quae necesse est sciant. Ceterum in hoc quidem prologo non ieiunum illud narrationis genus elegit poëta, sed Andromacha ipsa secum colloqui videtur de sua fortuna, qua ratione vividior fit tota expositio. Diverbio autem inter Andromacham et servam misericordia afficimur miserrimae mulieris; simul admiramur eius in filium amorem. In melioribus prologus est numerandus.[2])

3) Bacchae. — Simplici modo Bacchus enarrat quae opus sunt, et vix minuitur totius prologi ieiunitas chori adiecta adhortatione.

4) Hecuba. — Non ineptum videtur Euripidem Polydori umbram induxisse prologum agentem. Vehementer enim spectatores commoventur repentino in ipso fabulae initio umbrae alicuius adventu. Id quoque magno effectu est, quod Polydori umbra obviam it matri, quae non videt eam; non minus, quod Hecubae nocturnae visionis interpretem quaerenti illico chorus affert dirum nuntium. Hunc prologum cum prologo Andromachae contulerim. Id autem mirum esse videtur, quod Euripides, sicut in Alcestide, spectatoribus paene omnem exspectationem adimit, cum in ipsa Polydori narratione Polyxenae caedem significat (v. 37 sqq.).

5. Helena. — Magnam prologi partem Helenae narratio occupat, cum Euripides fabulam admodum mutavisset, id quod necesse erat comperirent spectatores. Offendit Helenae vehemens novas res audiendi cupido, non minus Teucri effrenata in Helenam ira. Omnino totum illud diverbium non necessarium esse videtur.

6) Electra. — De huius fabulae prologo postea uberrime disseram.

[1]) Bergkius, H. L. G. III., 496.

[2]) Aristophanes Byzantius: . . . . *ὁ δὲ πρόλογος σαφῶς καὶ εὐλόγως εἰρημένος ἔτι δὲ καὶ τὰ ἐλεγεῖα τὰ ἐν τῷ θρήνῳ τῆς Ἀνδρομάχης.*

7) Heraclidae. — Heraclidarum prologus est unus ex optimis Euripideis prologis vel melioribus quidem. Non seclusa ab reliquis videtur esse Iolai narratio, si haec quidem narratio dici potest. Nam non multis verbis genealogi officio fungitur, sed, postquam antea de hominum moribus pauca dixit, quae pertinent ad praesentem rerum condicionem, venuste, quis sit, spectatores docet (conf. v. 29 sq. et v. 88 sq.) et commodo fere modo sua Herculisque liberorum fata perhibet. Hoc ipso autem momento, quo se suaeque tutelae mandatos salvos esse putat, Copreus praeco quasi vultur in agnos se deiciens existit (confer v. 10). Cuius adventu subito summus impetus fabulae ipsi exordio attribuitur summaque spectatorum concitatur exspectatio. Et ipsius chori adventum Euripides optime instituit. Cum Iolaus Coprei impetui iam resistere non possit, magna voce advocat regionis incolas, id est chorum. Addere velim toto prologo Iolai ingenium mite atque humanum egregie describere poëtam.

8) Hercules. — Prologus usitatam Euripidis in scribendis prologis rationem prae se fert. Tristis videtur et languidus dissimillimusque Heraclidarum prologo.[1])

9) Supplices. — Prologum huius fabulae bonis non adnumerem. Veneratur deam Aethra, aperit, quae scit, narrat, quae spectatores de supplicum praesentia sciant est necesse, cum minime difficile fuisset totam hanc narrationem Cereris imprecationi quasi intexere hoc fere modo, ut deae miserorum hominum fortunam commendaret.

10) Hippolytus. — Prior prologi pars mihi quidem plane displicet. Mire ieiuna est Veneris narratio, qualem deam minime esse praebituram exspectamus. Neque solum ea audimus, quae scire nos opus est, sed omnia futura loquax dea nobis prodit, qua ratione quin omnes exspectatio tollatur fieri non potest. (Confer Bergkium H. L. G. III, 595). Hoc quoque offendit, quod Venus nimis irae indulget ob Hippolyti neglegentiam; deam enim inprimis temperantem esse decet. Ceterum hoc est positum in deorum natura, qualem Graeci animis sibi depingebant. Porro mireris, quod Venus, quamvis sit infesta Hippolyto, tamen sex versibus eius adventum spectatoribus indicat. Hoc quidem loco poëta nihil nisi usum tragicum respexisse facile vides.

[1]) Utriusque tragoediae similitudinem quandam esse concedas. Agitur enim in utraque fabula de tristi Herculis liberorum fortuna. Patris auxilio in utraque fabula carent, hic morte eius, illic vesania.

Egregia autem est altera prologi pars atque digna ingenio Euripideo. Iterum lege mirabile illud famulorum carmen, quod canunt in honorem Dianae! Quanta elegantia, quanta dulcedo! Nonne profecto populare carmen tibi esse videtur? Et respice vv. 73—87, qui tanquam perfusi sunt illa Euripideae poëseos gratia atque suavitate, quae verbis non potest exprimi. Quam pulchre elucet ex his versibus Hippolyti mens puerilis atque casta, qua solam ut Dianam colat adducitur! Insequente autem cum famulo diverbio adulescentem se praebet modestum atque fortem. Etsi longa inter Hippolytum et famulum stichomythia[1]) et v. 114—120 legentes minus delectant, tamen Hippolyti prologum aequiparare cum prologo Heraclidarum non dubito.

11) Iphigenia Aulidensis. — Mihi quidem versus 1—48, quamvis sint pulchri, interpolatori deberi persuasum est. Ceterum fabulae finem plane alium fuisse ac nunc superest omnes sciunt, quin etiam tota tragoedia ab Euripide abiudicata est.[2])

‚Caretne igitur fabula prologo?' Minime caret. Respicias versus 49 sqq.! En habes prologum vere Euripideum. Agamemno causas enumerat belli Troiani et fabulae rationem tam copiose aperit, ut servus vel potius spectantes multo plus comperiant quam opus est. Tum sequitur frigidius inter regem et servum diverbium, quo ille servum, ut summam adhibeat providentiam, adhortatur. Sunt autem hi versus iis, qui antecedunt, non coniuncti, sed tantum ascripti.

12) Iphigenia Taurica. — Versus 1—61 continent usitatam narrationem; minus aridi videntur vv. 42—55, quibus Iphigenia somnium nocturnum describit. Ceterum hac narratione magna excitatur exspectatio et sequente Orestis adventu non inepte contrarium efficit poëta, non minus in describendo utriusque amici ingenio.

13) Ion. — Huius fabulae prologum composuit Euripides secundum exemplar Hippolyti prologi. Narrat Mercurius, quae ei sunt narranda, more Euripideo. — Versus autem 82—184 summa admiratione digni sunt. Omnia hic sunt coniuncta ad procreandum quasi bucolicum carmen: locus, sententiae, actiones, numeri. Quam

[1]) Poëtas tragicos stichomythiae legis causa nonnunquam inanes versus actores facere declamantes inter omnes constat. Non autem sit alienum quaerere, num Euripides illud vitium in prioribus tragoediis magis vitaverit quam in posterioribus. Quantum ego scio, profecto res sic se habet.

[2]) Equidem hanc fabulam spuriam esse non existimo; sed id quidem mirum videtur, quod fabula illius suspicionis ansam omnino porrigere potuit.

praeclare depingit poëta solis ortum! Quanta dulcedine quantaque simplicitate imbutus est ille locus, ubi cygni in regnum Apollinis sacrosanctum sunt invasuri! Ionis prologum comparaverim Heraclidarum prologo.

14) Cyclops. — De hoc dramate satyrico hoc quidem loco nihil habeo, quod dicam. Prologum agit Silenus; tum canere incipit chorus.

15) Medea. — Medeae prologus dignus est insigni Euripidis tragoedia. Confer Bergkium H. L. G. III, 509 et argumentum: ἐπαινεῖται δὲ ἡ εἰσβολὴ διὰ τὸ παθητικῶς ἄγαν ἔχειν. Vituperavit quidem Bergkius poëtam (pag. 594 ann. 376; confer etiam ann. 377.). Mirum videri, quod nutrix sine ulla causa in scaenam prodeat ibique secum ipsa colloquatur. Nam excitatam eam esse non elucere ex totius narrationis sono. Equidem Bergkio non assentiar. Non est hominum humilium ea quae eorum animos commovent, verbis quoque manifestare ita, ut ex his animi excitatio quasi eluceat. Potius celant alios affectus suos, quorum eos paene pudet metuentes, ne furere videantur.

Egreditur e domo nutrix, ubi diutius manere non potest. Exagitatur cura atque angore et tanquam onere liberatam esse se opinatur, ubi primum domum illam plenam aestus atque perniciei reliquit. Ex oratione autem nutricis mea quidem opinione consequi videtur animi motum quam maxime opprimere eam studere; neque tamen dolorem atque metum, quibus perturbatur anicula fidelis, prorsus potest exstinguere. Nutricis autem orationem poëta sic instituit, ut spectatores non revera comperiant, quae sint futura, sed tantum divinent. Medeae animum ob iniuriam allatam plane exacerbatum perspectum habemus, priusquam illam in scaena agentem vidimus. Et duarum aliarum personarum ingenia apparent ex iis quae dicunt. Amant Medeam eiusque liberos, sunt anxii ob inauditam rerum condicionem quam conciliare sibi nullo modo possunt. Omnino Euripides summo studio summaque arte annisus est, ut spectatorum animos vehementissime moveret atque percuteret! Et quantopere hoc ei contigit! Lege versus 46 sqq., 82, 89 sqq., 98 sqq., 116 sqq.! Id quoque respicias! Electra Sophoclea pauca verba recitat post scaenam, Medea multos versus! Mulieris atrocis audientes verba, ipsam non videntes angore quasi tempestatis appropinquantis afficimur. Servi fidi et anxii, liberi innocentes, mater ferox imaginem vere tragicam nobis proponunt plenamque

pulchritudinis dirae. Medeae prologum omnium Euripidis prologorum maxime egregium esse puto.

16) Orestes. — Maximam prologi partem occupat longa Electrae oratio; reliqua sunt iniucunda atque tristia, sicut tota fabula. Est prologus deteriorum.

17) Troades. — De huius fabulae prologo idem iudicium faciam quod de prologi Orestis feci.

18) Phoenissae. — Longa Iocastae oratio multa continet, quae spectatores aut iam sciebant aut scire non debebant. Antigonae et paedagogi diverbium non caret amoenitate quadam et virgineum Antigonae ingenium poëta optime depinxit. Sed totum prologum spectantium causa composuit.

Nunc summam huius conspectus faciamus. Contulit Wilamowitzius Sophocleae Electrae prologum cum deterioribus Euripidis prologis. Cogitasse igitur eum verisimile est de Alcestidis, Baccharum, Helenae, Herculis, Supplicum, Iphigeniae, Aulidensis, Orestis, Troadum, Phoenissarum prologis.[1]) Ostendisse me puto Sophocleae Electrae prologum cum illarum Euripidis fabularum prologis comparare non licere. Sed ne melioribus quidem prologis comparem, Andromachae, Hecubae, Iphigeniae Tauricae. Equidem Sophocleae Electrae prologum cum optimis Euripideis comparo neque metuo, ne viri docti, quod Sophocli nimiam laudem attribuerim, crimini mihi vertant. Et comparem cum Medeae prologo. Ut enim in Medea Euripides caedem Iasonis liberorum eiusque sponsae ipso prologo nobis ostendit futuram καταστροφήν, sic Sophocles toto prologo manifestat vindictam.

Addit Wilamowitzius: „Auch Sophokles hat sich darauf verlassen, dass das Publikum sich bei der herkömmlichen Theaterpraxis beruhigen würde, und die innere Motivierung für überflüssig gehalten.“ Profecto mirum est, qua ratione Wilamowitzius opificis more tragoedias fabricatum esse Sophoclem animum inducere potuerit. Quare laudandus est Singerus acriter castigans Wilamowitzium pag. 70. Is dicit postremo: „Trachinierinnen und Philoktet, namentlich dieser, sind darin ganz ähnlich, ebenso die späteren euripideischen Stücke.“ Quae comprobo quoad referuntur ad Euripidem (confer quae supra disserui de prologis Euripideis), sed de Trachiniarum prologo et Philoctetae illa dici posse negem.

---

[1]) Ceterum non pariter deteriores hos esse prologos contendam; nonnulli enim nihil nisi personae cuiusdam continent monologum, velut Bacchae,

praeclare depingit poëta solis ortum! Quanta dulcedine quantaque simplicitate imbutus est ille locus, ubi cygni in regnum Apollinis sacrosanctum sunt invasuri! Ionis prologum comparaverim Heraclidarum prologo.

14) Cyclops. — De hoc dramate satyrico hoc quidem loco nihil habeo, quod dicam. Prologum agit Silenus; tum canere incipit chorus.

15) Medea. — Medeae prologus dignus est insigni Euripidis tragoedia. Confer Bergkium H. L. G. III, 509 et argumentum: *ἐπαινεῖται δὲ ἡ εἰσβολὴ διὰ τὸ παθητικῶς ἄγαν ἔχειν.* Vituperavit quidem Bergkius poëtam (pag. 594 ann. 376; confer etiam ann. 377.). Mirum videri, quod nutrix sine ulla causa in scaenam prodeat ibique secum ipsa colloquatur. Nam excitatam eam esse non elucere ex totius narrationis sono. Equidem Bergkio non assentiar. Non est hominum humilium ea quae eorum animos commovent, verbis quoque manifestare ita, ut ex his animi excitatio quasi eluceat. Potius celant alios affectus suos, quorum eos paene pudet metuentes, ne furere videantur.

Egreditur e domo nutrix, ubi diutius manere non potest. Exagitatur cura atque angore et tanquam onere liberatam esse se opinatur, ubi primum domum illam plenam aestus atque perniciei reliquit. Ex oratione autem nutricis mea quidem opinione consequi videtur animi motum quam maxime opprimere eam studere; neque tamen dolorem atque metum, quibus perturbatur anicula fidelis, prorsus potest exstinguere. Nutricis autem orationem poëta sic instituit, ut spectatores non revera comperiant, quae sint futura, sed tantum divinent. Medeae animum ob iniuriam allatam plane exacerbatum perspectum habemus, priusquam illam in scaena agentem vidimus. Et duarum aliarum personarum ingenia apparent ex iis quae dicunt. Amant Medeam eiusque liberos, sunt anxii ob inauditam rerum condicionem quam conciliare sibi nullo modo possunt. Omnino Euripides summo studio summaque arte annisus est, ut spectatorum animos vehementissime moveret atque percuteret! Et quantopere hoc ei contigit! Lege versus 46 sqq., 82, 89 sqq., 98 sqq., 116 sqq.! Id quoque respicias! Electra Sophoclea pauca verba recitat post scaenam, Medea multos versus! Mulieris atrocis audientes verba, ipsam non videntes angore quasi tempestatis appropinquantis afficimur. Servi fidi et anxii, liberi innocentes, mater ferox imaginem vere tragicam nobis proponunt plenamque

pulchritudinis dirae. Medeae prologum omnium Euripidis prologorum maxime egregium esse puto.

16) Orestes. — Maximam prologi partem occupat longa Electrae oratio; reliqua sunt iniucunda atque tristia, sicut tota fabula. Est prologus deteriorum.

17) Troades. — De huius fabulae prologo idem iudicium faciam quod de prologi Orestis feci.

18) Phoenissae. — Longa Iocastae oratio multa continet, quae spectatores aut iam sciebant aut scire non debebant. Antigonae et paedagogi diverbium non caret amoenitate quadam et virgineum Antigonae ingenium poëta optime depinxit. Sed totum prologum spectantium causa composuit.

Nunc summam huius conspectus faciamus. Contulit Wilamowitzius Sophocleae Electrae prologum cum deterioribus Euripidis prologis. Cogitasse igitur eum verisimile est de Alcestidis, Baccharum, Helenae, Herculis, Supplicum, Iphigeniae, Aulidensis, Orestis, Troadum, Phoenissarum prologis.[1]) Ostendisse me puto Sophocleae Electrae prologum cum illarum Euripidis fabularum prologis comparare non licere. Sed ne melioribus quidem prologis comparem, Andromachae, Hecubae, Iphigeniae Tauricae. Equidem Sophocleae Electrae prologum cum optimis Euripideis comparo neque metuo, ne viri docti, quod Sophocli nimiam laudem attribuerim, crimini mihi vertant. Et comparem cum Medeae prologo. Ut enim in Medea Euripides caedem Iasonis liberorum eiusque sponsae ipso prologo nobis ostendit futuram *καταστροφήν*, sic Sophocles toto prologo manifestat vindictam.

Addit Wilamowitzius: „Auch Sophokles hat sich darauf verlassen, dass das Publikum sich bei der herkömmlichen Theaterpraxis beruhigen würde, und die innere Motivierung für überflüssig gehalten.“ Profecto mirum est, qua ratione Wilamowitzius opificis more tragoedias fabricatum esse Sophoclem animum inducere potuerit. Quare laudandus est Singerus acriter castigans Wilamowitzium pag. 70. Is dicit postremo: „Trachinierinnen und Philoktet, namentlich dieser, sind darin ganz ähnlich, ebenso die späteren euripideischen Stücke.“ Quae comprobo quoad referuntur ad Euripidem (confer quae supra disserui de prologis Euripideis), sed de Trachiniarum prologo et Philoctetae illa dici posse negem.

---

[1]) Ceterum non pariter deteriores hos esse prologos contendam; nonnulli enim nihil nisi personae cuiusdam continent monologum, velut Bacchae,

Deianira timore affecta est propter longiorem mariti absentiam. Num igitur ineptum esse videtur Deianiram cum dolore simul ac laetitia illius temporis reminisci, cum Hercules eam sibi uxorem pepererat! ‚Cur autem prodit in scaenam?' Exagitatur angore sicut nutrix in Euripidis Medea; sed haec timet dominae, marito illa, cuius causa iam multa passa est quemque eo magis amat. Hunc Deianirae Herculis amorem poëta mirum in modum descripsit; simul inicit spectatoribus exspectationem, timorem, misericordiam. ‚At in Trachiniis Deianira sola prologi facit initium, quae ratio non est laudabilis.' Hoc est concedendum; sed invenitur vitium illud semel plus apud Euripidem, Sophocles in sola Trachiniarum fabula commisit. Ceterum hic se res similiter habet atque in Iphigenia Aulidensi. Fabulae ἔξοδος admodum suspecta est, quin etiam totam tragoediam non esse Sophoclis nonnullis placuit. Quare haud scio an prologus Trachiniarum antiquis temporibus alius fuerit atque nunc superest. — Famula adit dominam. Causam non attulit Sophocles, cum non opus esset. Nam tam diu audierat Deianiram gementem et querentem, ut tandem misericordia capta quamvis serva dominam alloqui auderet et interrogaret, cur non Hyllum filium (quem accurrentem videt) mitteret quaesiturum de Hercule, ubi esset et quid ageret. Hyllus communicat cum matre, quae de patre comperit. Tum Deianira filium certiorem facit de illo oraculo, quo audito statim iter properat. Cum et ipsa famula scaenam reliquerit, quod in ea cur diutius maneat, non iam habet, sola remanet Deianira. Quam adit chorus virginum Trachiniarum, amicarum Deianirae. Dicit Bruhnius pag. 320 in Trachiniis chorum sine ulla causa prodire in orchestram. Est autem perspicua causa. Venerunt amicae Deianiram consolaturae. Quid igitur in Trachiniarum prologo vituperandum est?

In Philoctetae prologo prodeunt in scaenam Ulixes et Neoptolemus, Achillis filius. Ille docet adolescentem, loci naturam et quis habitet eum. Prorsus autem necessarium est Neoptolemum omnia comperire quae profert Ulixes. Qui ipse nonnulla quae supervacanea possint videri silentio praetermittit (conf. vv. 11 sqq.). Simul autem magnam spectatorum exspectationem excitat; nam Ulixem dolum commentum esse dignum fama viri callidissimi non ignorant.

Tum colloquuntur inter se Neoptolemus et Ulixes. Ille describit Philoctetae specum. Cum autem Ulixes ipse in antrum ingredi

vereatur metuens, ne conspiciatur a Philocteta (non enim scit, utrum ille adsit in specu necne) comitem praemittit, ut sibi, qualis sit status rerum, nuntiet. Et quo plures ille res enumerat, quas reperit in domicilio hominis miseri, eo verisimilius esse videtur Ulixi Philoctetam procul versari ab hac regione. Qua ratione poëta etiam aliud adeptus est. Illa descriptione miseri Philoctetae domicilii misericordia afficit animos nostros viri, qui per tot annos ab omnibus hominibus relictus in hac insula vilem vitam degerit doloribus excruciatus et inopia cibi. In sequente diverbii parte Ulixes Neoptolemo studet persuadere, ut dolo, quem accurate ei explicat, Philoctetam capiat. Ille autem hoc sese facturum esse prorsus negat. In hoc quoque prologo Sophocles diversa hominum ingenia egregie descripsit. Videmus Laërtae filium callidum atque astutum, videmus Neoptolemum, filium patre dignum, magnanimum absque omni mendacio abhorrentem. Angore quodam imbuti legimus illam stichomythiam, ne postremo iuvenilis animus superetur eloquentia viri. Et profecto pollicetur Neoptolemus, quod ille velit sese facturum.[1]) Tum nautarum chorus in orchestram procedit. Quam vehementer percutit nos Sophocles hoc ipso prologo! Etiamne recordabitur Neoptolemus officium, quod eum reicere iubet Ulixes? Speremus quidem licet veritatis amorem Neoptolemo innatum, cum aliquantulum temporis oppressus fuisset, mox quasi e tenebris rursus in lucem evasurum esse. Hoc etiam addam naucleri mentione poëtam futura iam significare. Equidem Philoctetae prologum optimis Sophoclis adnumerem.

Quae autem dicit Wilamowitzius de Euripideae Electrae prologo? Scribit pag. 222: „Sein (Euripidis) Orestes hat im Prolog auf der Bühne etwas zu suchen, muss die Electra für eine Sklavin halten und sich erst über die Verhältnisse orientieren.“ Hanc Wilamowitzii sententiam oppugnat Singerus pag. 66: „Wir sehen, welche Ungereimtheiten jenes Versteckthalten des Orestes hervorrief.“ Ut horum verborum sententiam perspiciamus, consideremus necesse est Euripideae Electrae prologum. — Proditne gravi de

[1]) Ceterum hoc Neoptolemi obsequio duplex adest culpa tragica: Philoctetae, qui sacrum illud nemus intrare non debuit, Neoptolemi, causa modo allata. Duplex igitur pensum poëta sibi proposuit: cum voluit ostendere hominem ingenuum omnes malorum illecebras postremo superare, tum intendit Philoctetae liberationem eiusque voluntarium Troiam abitum, quam ad causam Herculis quidem interventu eguit poëta.

causa Orestes in scaenam? Hoc concedendum est. Audivit enim sororem esse nuptam et venit, ut eam viseret sociamque sibi vindictae perpetrandae adiungeret. Dicit quidem Orestes nonnulla tantum spectatorum causa, velut unde venerit quaeque fecerit usque ad illud tempus. Sed hic est mos Euripideus, sicut tota coloni narratio nulla alia causa composita esse videtur quam ut docerentur spectatores. Id quoque concedendum est Wilamowitzio Orestes putet necesse esse mulierem, quae occurrit ei, esse servam. Nam Electram esse eam non potest scire. Dicit v. 98 sq. audivisse se sororem non iam esse virginem; plus non comperit. Sed certe ne coniciebat quidem miserrima vitae condicione uti sororem. Et semel plus Orestes eam videns appropinquantem servae vocabulo significat (conf. vv. 107 sqq.). Neque poterat, de alia sorte atque servae cogitare. Singerus autem verbis illis (pag. 89) alia tetigit, quae Wilamowitzius omnino non commemoravit. Nam Orestes vv. 104 sqq. sperare se dicit agricolam quendam vel mulierem venturam esse, quam de sorore consulat; nam ne hoc quidem scit habitare eam in hac regione. Statim mulierem conspicit accedentem et — monet amicum, ut insidientur percontaturi ex illa, si quid earum rerum possint comperire, quarum causa in hanc terram venerint.

„Warum sprach er nicht alsbald Electra an?“ (pag. 65) [1]) Orestes insidiatus est cum Pylade, ut Electra prope accederet neminem videns. Timebant, ne duos peregrinos conspicata rursus rediret et virorum decessum expectaret.

Quodsi ex insidiis colloquendi cum illa occasionem sibi sumerent, certam habebant spem ea quae vellent esse se comperturos. Neque non licere putabant servam hunc in modum retinere. Tum autem mulierem ipsam audit Orestes dicentem sese Electram esse; quare non iam dubitat relictis insidiis eam alloqui. Electra autem cogitat de insidiis (quidni cogitet?) et supremam necessitatem sibi supervenisse opinatur. Quare admodum errat Singerus interrogans pag. 60: „Hatten denn die Jünglinge, zwei im Palaste aufgewachsene Königssöhne, ein solch wildes Aussehen? Sie trugen gewiss nichts weiter als die gewöhnlichen Reisegewänder . . . . .“ Certe; sed velim Singerus reminiscatur totius rerum condicionis.

[1]) Quae addit: „Er konnte doch nicht ahnen, dass diese es selbst sei, die ihm, ohne zu wollen, die erwünschte Auskunft erteilen werde“, non possum intellegere. Putatne Singerus Orestem mulierem non fuisse allocuturum, si quae esset, praesensisset?

Revocet se ad ea, quae colonus de Aegisthi in Electram odio dixit! (Conf. v. 27 sq.) Animo sibi depingat Electrae vitam miseram! Nonne scit corporis misero habitu mentem quoque opprimi et amantem fieri suspicionis? Ex longo tempore nemo in hanc regionem venerat, quem non nosset. Subito minime de tali casu cogitans duos peregrinos videt ad se ipsam approperantes. Num reprehendere eam nobis licet, quod statim de periculo sibi instante cogitat, sicut omnino est feminei sexus haud cunctanter exiguum periculum ducere ingens? Et Euripidem peritissimum fuisse muliebris ingenii inter omnes constat.

Tanto autem terrore Electram puto affectam esse, ut, qualia essent peregrinorum vestimenta observandi non iam haberet tempus.

Inspiciamus alia, quae Singerus (pag. 60) profert contra Euripidis Electram. [1])

Versus 220—227 pulcherrimis equidem adnumero, quos Euripidis composuit. Quam praeclare elucet ex iis fratris erga sororem amor!

μέν', ὦ τάλαινα· μὴ τρέσῃς ἐμὴν χέρα

dicit Orestes (conf. etiam v. 222 et 224).

Quam decet pudor virginem!

ἄπελθε, μὴ ψαῦ' ὧν σε μὴ ψαύειν χρεών,

et quantopere commovent nos Electrae verba:

ἔστηκα· πάντως δ' εἰμὶ σή· κρείσσων γὰρ εἶ.

Nunc audias Singerum: „O. versichert sie, dass er lieber jede andere töten würde, als sie; Electra aber, dieses Kompliment böse erwidernd, stösst die angebotene Hand des O. zurück.“ Considera denique Electrae ergo fratrem amorem (conf. v. 229 et 231). Ea quoque reicio, quae Singerus profert de falso Electrae matrimonio: „Sie ist aber auch so frivol — denn das überschreitet wohl selbst die Grenzen der antiken Naivetät in diesen Dingen — dem Fremden das delikate Eheverhältnis zu ihrem Gatten des weiten und breiten auseinander zu setzen.“

Ac quidem de significatione „frivol“ quidem, quam Singerus attribuit Electrae, postea loquar. Deinde quaeram ex eo, unde compererit Graecis Electram de matrimonio suo dicentem ultra

[1]) Omnino enarrat fabulae argumentum modo acerbo et mordaci, cuius rationis equidem nullam aliam causam invenire potui, quam quod Euripidis fabulam significare voluit quam deterrimam.

modum visam esse progredi. Nusquam comperit, contendit tantum. Meo quidem arbitrio nos iam diiudicare non possumus, utrum antiquos spectatores illa Electrae verba offenderint necne. Ceterum uno versu 255 Electra matrimonium simulatum tangit; quae addit, pertinent ad maritum falsum, cuius liberalitatem laudat. Num propter hoc eam vituperabimus?

Pergit Singerus: „O. als Fremdling hätte gewiss keine diesbezügliche Frage an Electra gerichtet . . . . . Paene ridiculum hoc videtur esse. Quomodo Oresti omnino talis interrogationis in mentem venire potuit? Quae autem addit: „Aber diese (Electra) schien um jeden Preis die pikante Angelegenheit aufs Tapet bringen zu wollen; sie entlockt ihm listig die Frage", omnes, qui Euripidis sunt studiosi, non sine indignatione legisse persuasum mihi est.

Singerus autem nondum desinit Euripidem carpere. Interrogat, cur Orestes iterum (v. 288) quaerat de patris tumulo, quamvis ipse nocte tumulum se visisse dicat v. 90. Modo locuti erant de vetere patris paedagogo et Electra certe aegre tulisset, nisi frater nuntio, ut de patris tumulo quaereret, mandasset.

Sed diutius moratus sum in refutandis Singeri ineptiis, quas omnino non respexissem, nisi Wilamowitzii de Euripidae Electrae prologo sententia ut respicerem adductus essem.

Nunc redeamus ad Wilamowitzium. Ostendisse me puto non iure eum dixisse: „Bei Sophocles ist im Grunde genommen nicht nur die Expedition des Orestes im Prolog ohne Zweck." Addit autem: „sondern auch die ganze Sendung des Paedagogen mit der Todesbotschaft." Equidem his verbis (quae Singerus omnino non respexit), eum voluisse dicere puto paedagogum nuntium de Orestis morte sine ulla causa Clytaemestrae afferre. Quam miram sententiam intellegere non possum. Nam de illo falso paedagogi nuntio institutio dependet totius fabulae. [1]) — Bruhnius autem multa invenit vituperanda in illa paedagogi missione. Cum ea esse putet festinationis indicia (confer pag. 33), accurate respiciam quae profert.

Pag. 322 dicit: ‚Scire autem velim, quid Oresti responsurus fuerit paedagogus, si illum dicentem vv. 20—22 interrogasset Orestes, cur eo potissimum loco vellet deliberari, cur non eo se converterent, ubi neminem superventurum esse sperari posset.'

[1]) Alia quae efficit Sophocles paedagogi persona, affert Schwenkius, „Die 7 Tragoedien des Sophocles," Francof. 1846.

Quae Bruhnii dubitatio eis admodum accepta erit, qui illos tres versus spurios esse putant; novum enim argumentum ipsorum sententiae Bruhnius eis porrigere videtur. Ergo non Sophocles, sed interpolator vituperandus est. Tum pergit Bruhnius: ‚iubetur paedagogus domum intrare, quid intus geratur, explorare, ut socios certiores faciat, Orestis denique mortem nuntiare. Orestes igitur cautissime procedens primum certior fieri vult, num is sit domi rerum status, ut faustus exitus sperari possit, dein domum intrare. Idem postea non exspectat, dum redeat paedagogus, sed paulo post eum advenit.' Non alienum esse videtur totam hanc de paedagogi missione quaestionem tractare continuam. Primum loquitur Sophocles de paedagogo mittendo vv. 39 sqq. . Domum Orestes eum intrare iubet, cum occasio intrandi ei se obtulerit, et omnia explorare, ut ipsi et Pyladi nuntiare possit. Neque quemquam domi eum esse agniturum. Postremo mandat paedagogo, ut Orestem mortuum esse dicat. Post versum 76 Orestes et Pylades abituri sunt, cum iam occasio apparuerit iis agendi. Paedagogus autem obtemperans Orestis imperio (v. 74) recipit se post versum 85 et subauscultando Electrae verba excipit. Post 659. demum versum prodit in scaenam. ‚Cur non prius venit?' Ego existimo paedagogum non prius venisse ideo quod Clytaemestram voluit exspectare. ‚At cum regina multo prius poterat colloqui, velut post versum 250 vel 327 vel 515. Facere hoc ei licebat; sed noluit, quod vir callidus in latebris quoque se posse quaedam comperire putabat a nullo conspectum. Neque spes eum fallit. Audit Electram dicentem Aegisthum domi non esse; quare hunc non quaerit v. 663 sq.. Cum autem Aegisthum rus abisse audierit, Clytaemestram non ipsam abesse habet, cur coniciat. Etiam de alia re fit certior: de Chrysothemidis animo eiusque erga Electram obsequio. Paedagogum igitur paene omnia scire vides, quae scire eum oportet, cum nihil dixerit, nihil egerit, ne visus quidem sit. Quid praeterea explorandum est? Nondum scit, num servi sint in aedibus, quibuscum confligere possint postea Orestes et Pylades. Sed illud quoque se comperturum esse sperat. Est enim admodum verisimile Clytaemestram eum, qui tam acceptum ei nuntium attulisset, non sine prandio esse dimissuram; neque dimisit (conf. v. 800 sqq.). — Aliam causam, cur paedagogus non prius e latebris processerit, afferam. Certe mirum fuisset, si paulo post solis ortum Clytaemestram adisset. Sic enim iter instituturum esse eum aequum erat, ut non intem-

pestive ad aedes veniret. Postremo Sophocles, cum paedagogi adventum retardavit, scaenicae oeconomiae satisfecit legi summae. Nuntio enim de Orestis interitu a paedagogo allato Clytaemestra summo afficitur gaudio, cum omni timore, ut opinatur, liberata sit. Paulo ante ab eodem deo, qui Orestem patris mortem ulcisci iusserat, tranquillam et curis vacuam precata erat vitam, et deus exspectatione celerius reginae preces audivisse videbatur. Nunc exsultat Clytaemestra scelesta, nunc quasi ad cacumen fortunae pervenit. Nihil iam ei Aegisthoque deesse videtur neque altius possunt ascendere. Quare, ut in omnibus humanis rebus fieri solet, hic quoque, quin fortunae accidat vicissitudo, fieri non potest. Ut autem ex montis cacumine utroque tantundem viae esse solet in planitiem descensuris, ita tragici quoque poëtae et fortunae et miseriae cacumen in media fabula ponere solebant. Hoc et ipse Sophocles fecit. Clytaemestra paene furit ob laetum nuntium omni deposito pudore. Electra summa est affecta miseria sibique mortem cupit. Quare Sophocles paedagogum in latebris manentem facit usque ad versum 660. — V. 1098 Orestes et Pylades in scaenam prodeunt, cum iis famuli duo portantes vas cinere impletum. Quare non exspectavit Orestes, donec redisset paedagogus[1]) et, qualis esset domi status rerum, nuntiasset? Non exspectavit, quod redire illum non iusserat. An in versibus 39—41 quidquam significat paedagogi ad Orestem reditum? Orestes eum, ut domum intraret, studere tantum iussit, ut omnia quae in ea agerentur ipsi nuntiaret. Quam ad rem paedagogum non oportebat redire ad Orestem. Nam rerum statum domi prosperum esse facile paedagogus paucis verbis Oresti nuntiare poterat, cum is advenisset cum comitibus suis (conf. vv. 1339—1340). Non igitur exspectavit Orestes paedagogi reditum neque, cur exspectaret, habebat. Nam ab Electra audiverat Aegisthum rus abisse, domi esse Clytaemestram. Plus ne ipse quidem paedagogus dicere ei potuisset.

V. 1326 rursus prodit paedagogus in scaenam, postquam Clytaemestra eum dimisit. Consequitur autem e versu 1331 iam aliquantum temporis paedagogum prope absconditum latuisse, ut duplicata vigilantia Electrae inprimis imprudentiam compensaret. Nunc accedentem eum audiunt; nam diutius morari piget eum, quod in-

[1]) Hoc enim Bruhnio libenter concedam non posse dici de duobus itineribus' paedagogi.

sidians facile potest deprehendi. ,Cur autem Orestes paedagogum interrogat verbis his:

πῶς οὖν ἔχει τἀντεῦθεν εἰσιόντι μοι; (v. 1339),

si omnia iam scit?' Rem sic explicem. Paedagogus paulo ante (vv. 1326—1338) servum esse se obliviscens acrius allocutus erat Orestem atque Electram. Quare perstringit eum Orestes omnia quae ille dixerat neglegens eumque officii admonens verbis siccis *πῶς οὖν κτέ.*. ,Qua de causa paedagogus hoc ipsum premit neminem agniturum esse Orestem? Cur non statim Aegisthum abesse nuntiat?' Res perspicua est. Interpretor v. 1340:

καλῶς· ὑπάρχει γάρ σε μὴ γνῶναί τινα

hunc in modum: Nemo te agnoscet, i. e. omnes mortuum te esse opinantur. Id maxime intererat paedagogi Clytaemestram fidem habere nuntio de morte Orestis falso. De Aegistho autem tacet ob hanc causam, quod Electrae verba (v. 1307 sqq.) e latebris eum audivisse verisimile est. ,At v. 1368 Clytaemestram solam esse dicit.' Paedagogus finit Orestis atque Electrae colloquium et totam rerum condicionem breviter describit. Clytaemestram igitur solam adesse commemorat, non ut audiat Orestes, id quod ex tota loci elocutione consequi videtur. Praeterea novi aliquid affert:

νῦν οὔτις ἀνδρῶν ἔνδον κτέ. (v. 1369),

id quod Orestem prius comperire non oportebat. Postremo interroget aliquis: Cur dicit Orestes v. 1341:

Ἤγγειλας, ὡς ἔοικεν, ὡς τεθνηκότα,

quippe cum ipse mortis suae nuntium paedagogo mandasset, ut deferret? Mea quidem sententia versui 1341 verbis illis *ὡς ἔοικεν* iocosum aliquod et facetum attribuitur, ut accedat ad sermonem vulgarem. An illis verbis Orestes omen avertere voluit? Graecos enim ne specie quidem mortuos se haberi voluisse inter omnes constat. Velut admoneo te Menelai in Helenae fabula.

De versibus 1344—45 dicit Bruhnius pag. 323: ,hinc (ex versibus 38—45) duo paedagogi itinera non eliciemus. Sensit autem hoc ipse Sophocles; nam Oresti in v. 1343 quaerenti: *χαίρουσιν οὖν κτέ.* respondit paedagogus: *τελουμένων εἴποιμ᾽ ἄν· κτέ.* Equidem errare Bruhnium puto. Nuntium quem attulit paedagogus, continet versus 1340. Quae in aedibus dicuntur de Orestis morte, ea Orestem scire necessarium non est, quare postea se narraturum esse pollicetur paedagogus. Ceterum ex paucis quae addit verbis

consequitur Clytaemestram exsultare ob filii mortem, qua de causa paedagogus postea non iam loquitur de hac re.

Cum adhuc ea mihi videar refutasse, quae Wilamowitzius et Bruhnius contra Sophoclis Electrae prologum paedagogique missionem protulerunt, Wilamowitzii commentationem recensere pergam.

Dicit pag. 215: „Chrysothemis und Klytaemestra ignorieren einfach ihre (mulierum chori) Anwesenheit oder betrachten sie als selbstverständlich.‘ Haec refutantur iis quae pag. 28 sqq. scripsi de chori natura. Singerus pag. 72 sq. non male studet refutare Wilamowitzium. Tamen nonnulla addam. Dicit Singerus Chrysothemin in scaenam prodire Electrae lamentationibus perterritam. Quae sententia falsa mihi esse videtur. Nam Chrysothemis, quae Electram loquentem audiverat, non lamentantem, ad tumulum patris properat, quo ut perveniret, scaenam debebat transgredi. Tum Electram videt versantem extra portas et statim intellegens, qua de re agatur, alloquitur, paene dixi, increpat eam. Non enim probo quae Singerus dicit de Chrysothemide: „Ihre ersten Worte sind eine bestürzte Frage . . . . .“

Vv. 373—384 denuntiat Chrysothemis Electrae Aegisthum et Clytaemestram consilium cepisse eam extra patriam carcere includendi, ut liberi essent eius accusationibus. Annotat W.: „Eine Drohung, welche für den Fortgang der Handlung ohne Belang ist“, et alio loco: „Aus der Antigone stammt auch das unterirdische Gefängnis, mit welchem Elektra bedroht ist; das Motiv, dort bedeutungsvoll, ist hier nur ganz vorübergehend berührt.“ Hoc falsum est, ut opinor. Electra enim, ubi primum a Chrysothemide audivit, qualis sua sors esset futura, nisi modestius se gereret adversus Aegisthum et matrem, asperrime, quasi de industria faciat, tractat matrem, ut ea repetat minas, de quibus Electra a sorore audivit. Nam nihil aliud significant versus 626 sq.:

ἀλλ᾽ οὐ μὰ τὴν δέσποιναν Ἄρτεμιν, θράσους
τοῦδ᾽ οὐκ ἀλύξεις, εὖτ᾽ ἂν Αἴγισθος μόλῃ.

Confer v. 386:

. . . . ὅταν περ οἴκαδ᾽ Αἴγισθος μόλῃ.

Et v. 1445 sq. Aegisthus Electram alloquitur his versibus:

σέ τοι, ... κρίνω, . . . τὴν ἐν τῷ πάρος
χρόνῳ θρασεῖαν κτέ.

Statim meminimus carceris subterranei legentes verba illa. ‚At non loquitur Aegisthus de carcere.‘ Non loquitur, cum, si loqueretur, ineptum esset. Dicit enim ipse Electram antea audaci fuisse animo; nuntio autem de fratris morte allato plane eam afflictam esse opinatur. Quid igitur minetur? Neque minandi tempus ei est propter nimium gaudium, quo exsultat turpis eius animus. Quin etiam laudat Electram (v. 1456), cum gratum ei fecerit! Ergo non licet contendere Sophoclem illarum de carcere minarum leviter tantum mentionem facere. Singerus tacet de hac re, sicut de his Wilamowitzii verbis: „ . . . . (Chrysothemis) erzählt das beängstigende Traumgesicht der Klytaemestra (welches wohl das Vertrauen des Chores hebt, aber für die Handlung . . . . wirkungslos bleibt)“, et: „Klytaemestras Traum ist bei Sophokles nur ein keineswegs notwendiger Anlass, Chrysothemis zum Grabe zu bringen. Das einst, bei Stesichorus und Aeschylus, gewaltig wirksame Motiv ist zwar beibehalten, aber nur als Aeusserlichkeit.“ Putat Wilamowitzius Clytaemestrae somnium nihil valere ad argumenti explicationem. Legas versum 410:

Χρυ.: ἐκ δείματός του νυκτέρου, δοκεῖν ἐμοί.

et v. 411:

Ἠλ.: ὦ θεοὶ πατρῷοι, συγγένεσθέ γ᾽ ἀλλὰ νῦν.

Illo versu Chrysothemis causam affert, cur sit a Clytaemestra ad tumulum patris cum libatione missa; Electra autem statim divinat illo somnio significari vindicem venientem; putabant enim Graeci nocturnas visiones mitti a dis inferis. Uno versu 411 quasi velum deripitur de iis quae futura sunt, et spectatores horrore affecti dira praesagiunt. Iam nunc invocat deos Electra, quasi vindex ipsam ultionem perpetraturus sit. Confer vv. 1376 sq., ubi iterum deos implorat, dum Orestes et Pylades domum ingressuri sunt. Deinde illis iisque qui sequuntur versibus Electrae atque Chrysothemidis ingenia egregie describit Sophocles. Cum autem personarum actiones ex eorum ingeniis consequantur, illi versus non nihil valent ad explicationem argumenti.

Tum hoc brevi Electrae et Chrysothemidis diverbio alterum earundem personarum diverbium quasi adumbratur. Et respice, quam praeclare usus sit poëta contrarii figura. Electrae animus contristatus subito prima spei luce tamquam collustratur. Chrysothemis animi levitatem affectans Clytaemestrae somnio nihil momenti attribuit. Inspiciamus autem versus 871 sqq.. Est Chrysothemis solito excitatior, ipsa currit, quae v. 328 sororem vituperaverat, quod non e more virgineo se gereret; arbitratur enim certa fratris

adventus signa se invenisse. Electra autem non dubitat cum acerbissima importunitate sororis opinionem reicere eamque crudeliter omni laetitia privare. Mihi quidem persuasum est Sophoclem de hoc magno diverbio iam cogitasse, cum prius illud componeret. Unum praeterea addam. Clytaemaestra nocturna visione adducitur, ut Apollinem imploret. Ubi primum imploravit, paedagogus advenit nuntium afferens Orestem esse mortuum. Clytaemestra deum preces suas audivisse opinatur seque liberam esse sentit omni metu atque cura; attamen fatum ei iam imminere scimus. Quem effectum Sophocles sine illo Clytaemestrae somnio assecutus non esset. Non igitur iure Wilamowitzius diverbium illud supervacaneum esse contendit. ‚At Wilamowitzius omnino non loquitur de illo diverbio, sed de narratione somnii vv. 417 sqq.'. Wilamowitzio Sophoclem ideo vituperanti, quod nobis Clytaemestrae somnium septem versibus narraverit, contradixerim non narrationem esse caput rei, sed hoc esse gravissimum, quod omnino commemorat Chrysothemis somnium, qua ex mentione quae consequantur, supra ostendi. Quod autem Sophocles ipsum somnium narrantem fecit Chrysothemin, libenter ei ignoscemus; nam, cum Electra illi somnio tantum momenti impertiat, spectatores cupidi sunt illius somni narrationis idque non iniuria, quin etiam desideraremus, nisi Sophocles fabulae inseruisset. Reliqua autem quae profert Wilamowitzius: „Klytaemestras Traum ist bei Sophocles nur ein keineswegs notwendiger Anlass, Chrysothemis zum Grabe zu bringen", non aliter possum intellegere quam Wilamowitzium velle dicere necessarium non esse Chrysothemin Clytaemestrae somnio (vel alia re), ut adeat tumulum patris, adduci. Atqui prorsus necesse erat adiret Chrysothemis patris tumulum, ut inveniret fratris libationem; ergo debebat eo mitti. Sophocles matrem mittentem eam facit propter causam valde probabilem. Invertamus rem et contendamus Sophoclem Orestis libationem finxisse eo consilio, ut diversa Electrae atque Chrysothemidis ingenia quam maxime posset illustrare. Et profecto hoc affirmat Wilamowitzius. Nam non alius inest sensus in verbis his: „Auch das Grabopfer des Orestes hat nur noch hiefür Bedeutung" (pag. 216). Vides, quo ista ratione ducamur: ad totius fabulae improbationem.

Non operae pretium esse videtur reliquas Wilamowitzii de hac re sententias refutare, velut: „Seiner Neigung nach hat Sophocles ferner ein herodoteisches Bild mit dem stesichorischen verbunden,"

et „man sieht hier also deutlich, wie Sophocles, als er den Schwerpunkt seines Dramas verschob, die alten Motive gleichwohl in äusserlicher Weise beibehielt." Wilamowitzium Sophocli exiguam tantum artis suae scientiam attribuere vides, cum in ipsa Sophoclis Electra fabulam cum summa perfectione atque arte explicatam esse iam Gruppius annotaverit. Wilamowitzio paene omnia in Sophoclis Electra extrinsecus allata videntur, non quasi enata ex personarum ingeniis. Ceterum mireris viri docti nimiam in iudicando securitatem quam iam alii vituperaverunt.

Tum loquitur W. de Electrae versu 157, quem poëtam ex Homeri Iliade (I, 287) inepte mutuatum esse putat, et vituperat poëtam propter hiatum verborum *καὶ Ἰφιάνασσα.*[1]) Singerus defendit Sophoclem pag. 74. Equidem dubitaverim, num versus ille re vera sit versus hexameter.[2]) Neque Sophoclem illum versum ab Homero mutuatum esse animum possum inducere; nam miror, si chorus hoc ipso loco versum Homericum recitet verbo tenus. Deest enim omnis causa. In annotatione dicit Wilamowitzius: „Die zwecklose Einführung der dritten Tochter ist geradezu anstössig." Me quidem non offendit tertiae filiae mentio, Iphianassae. Dicit enim chorus: ‚Tu, Electra, plus miseriae toleras quam omnes, *οἷς ὁμόθεν εἶ καὶ γονᾷ ξύναιμος.*' (v. 156). Num igitur alienum esse videtur chorum omnes Electrae sorores nominare, quae secundum opinionem poëtae in aedibus versantur?[3]) Singero hoc quidem loco aliquid mali accidit. Scribit enim: „Die Einführung der Chrysothemis hält ferner Wilamowitz für zwecklos und geradezu anstössig."

Pag. 217 dicit Wilamowitzius de Chrysothemidis persona.[4]) Primo oculorum obtutu posse intellegi Electrae et Chrysothemidis ingenia secundum Antigonae et Ismenae exemplaria Sophoclem descripsisse.

Quam opinionem iam pag. 23 sqq. refutare studui, ubi de eadem Bruhnii sententia disserui. Addit autem Wilamowitzius novi aliquid: „Auch dies hat Chrysothemis mit Ismene gemeinsam, dass der Dichter sein Geschöpf, sobald er es nicht mehr braucht, rücksichtslos verschwinden lässt." Relinquit Chrysothemis scaenam post versum 1057, sorori irascens simulque anxia propter illius peri-

---

1) Legendum est *Ϝιφιάνασσα.*
2) Alii quoque dubitaverunt, velut Bursianus.
3) Confer Wolffii annotationem ad v. 157.
4) Singerus omnia quae nunc tractabo praetermisit.

culum, ob fratris mortem plena doloris. Animus eius sororis verbis ita perculsus est, ut non iam respiciat ea quae aguntur extra domum. Non enim inest in ea talis animi fortitudo, ut Electram secuta ipsa quamvis mortuo Oreste patris caedem ulcisci possit animum inducere. Est igitur verisimile Chrysothemin in intimum gynaeceum se recepisse, ut amissam animi tranquillitatem recuperaret. Nam Chrysothemin admodum suae ipsius saluti providere iam supra pag. 24 memoravi. Cur igitur denuo prodiret in scaenam? Ceterum tragicos Graecos talium personarum, qualis est Chrysothemis, cum partes suas egissent, iam nullam habere rationem solitos esse inter omnes constat. Erat enim omnino Graecorum artificum semper rei summam respicere, despicere leviora, si iis iam non egebant.

Largius disserit Wilamowitzius de Clytaemestrae et Electrae altercatione. Hic quoque omnia non necessaria, extrinsecus allata esse opinatur. Iam verba: „Klytaemestra tritt auf, schilt Elektren, lässt sich aber doch auf ein Wortgefecht ein, in welchem sie den kürzeren zieht, und kommt erst dann zu ihrem Geschäft, einem Opfer an Apollo, wegen des Traumgesichtes“, Sophoclis aliquam vituperationem continere videntur. Nam secundum Wilamowitzii opinionem Clytaemestra necessario non moratur. Equidem Clytaemestram satis habere, cur moretur, existimo. Ubi enim vidit Electram, ira inflammatur, quod eam in ipsam et Aegisthum rursus invectam esse cogitat. Num Clytaemestram irae moderantem praetergressuram esse Electram verisimile est? Minime. [1])

Tum Wilamowitzius loquitur de Clytaemestrae ad Apollinem imprecatione, quam comparat cum Iocastae in Oedipo Rege precibus haec addens: „Nur ist es (Iocastae sacrificium) im Oedipus ein wichtiges Mittel zur Charakteristik Iokastes, . . . während hier das Opfer an Apollon neben der Grabspende für Agamemnon zurücktritt und wesentlich das Auftreten der Person motiviert.“ Nonne Sophocles versibus 634—660, quibus Apollinem implorat Clytaemestra, huius mores depingit? Negat enim Wilamowitzius, id quod ex verbis modo allatis consequitur. Elucet autem ex precibus Clytaemestrae contemptio Electrae et odium, mala conscientia, nimius sui amor. Locutus est ipse Wilamowitzius paulo ante de mala Clytaemestrae conscientia eiusque vano animo, quem et chorus et spectatores perspiciant: qui autem potest haec dicere, nisi Sophoclem Clytaemestrae mores illis versibus describere concedit?

[1]) Huius controversiae cum priore Electrae et Chrysothemidis contentione exstat similitudo quaedam. Et Chrysothemis et Clytaemestra increpant Electram, ubi prodierunt in scaenam; utraque init cum ea colloquium, quo finito et Chrysothemis et Clytaemestra id faciunt quod facturae venerunt.

Porro respice causam, qua adducta Clytaemestra et Chrysothemin libationem portantem miserit ad Agamemnonis tumulum et ipsa Apollinem imploraverit. Est mala conscientia animique timor. Confer v. 410 et vv. 634 sq. . Meminit interfecti mariti, imprecat Apollinem, non quod paenitet eam vel sceleris vel vitae scelestae, sed quod metuit, ne mox finis venturus sit felicitatis, id quod ipsa confitetur. Non igitur, ut vult Wilamowitzius, Agamenonis libatio obstat imprecationi Apollinis, cum communis sit utriusque actionis causa.

In annotatione Wilamowitzius loquitur de Electrae vv. 472 sqq. et vituperat Sophoclem his verbis: „Was aber hier vorgetragen wird, ist eine Vermutung, die für jeden Menschenverstand nahe lag, und den Mädchen steht die *μαντεία* sonderbar zu Gesicht.“ Cur non concessit Wilamowitzius chorum constare ex mulieribus, quas *μαντεία* certe non dedecet? Quod autem attinet ad priorem vituperationis Wilamowitzianae partem, equidem chorum verbis *εἰ μὴ 'γὼ παράφρων μάντις ἔφυν* . . . nihil nisi suam de Clytaemestrae somnio sententiam exprimere contendam. Hic enim non potest cogitari de vera vate; nihil aliud nisi ea quae sequuntur significant illa verba: *καὶ γνώμας λειπομένα σοφᾶς*, quae verba poëta ad illa explicanda videtur adiunxisse.

Tum disserit Wilamowitzius de Electrae et Clytaemestrae altercatione quam iam antea tetigit. Plane aspernatur eam: „Fast anstössig ist der Redekampf zu nennen.“ Quare offendit in ea Wilamowitzius? Non probabile esse putat Clytaemestram patienter ferre iniurias Electrae, quoniam poëta, ut Clytaemestram depingeret corruptissimam, totius fabulae ratione coactus esset. Inspiciamus illam matris cum filia contentionem! Lege vv. 516 sqq.. Equidem ex hoc orationis Clytaemestrae exordio concludi posse nego illam cum Electra clementer esse collocuturam, id quod Wilamowitzius contendit pag. 219. Et profecto abundat Clytaemestrae oratio ironia, malignitate, odio. ‚At respice vv. 556 sq., ubi Clytaemestra magna moderantia uti videtur.‘ Sed hi duo versus referri debent ad versus 552—556, quibus Electra, ut patris fratrisque causam dicere sibi permittat, a matre petit. Quare Wilamowitzius Clytaemestram exponere se Electrae iniuriis iure non dicit; ea enim a versu demum 558 acriter invehi in matrem incipit. Num patitur Clytaemestra

quas filia ei infert contumelias? Minime. Lege chori verba v. 610: ὁρῶ μένος πνέουσαν κτἑ.

Electrae igitur verbis tanto furore affecta Clytaemestra est, ut loqui iam non possit. Chori tandem vituperatione leviore quasi excutitur e stupore et animi tranquillitatem simulans chorum alloquitur, Electrae nihil respondens. Semel tantum manifestat pectoris furorem verbis ὦ θρέμμ' ἀναιδές. Quare autem Clytaemestra non copiose se defendit ab Electrae accusationibus? Hac ipsa re Sophocles egregie manifestavit ingenii sui venustatem, quod non illam secutus rationem instituit rem. Hanc enim controversiam longius exponere taeduit eum. Satisfecisse se putabat Atheniensium sensui, qui delectarentur talibus iurgiis iudiciorum similibus. Ceterum confer ea quae Electra dicit de matre vv. 287 sqq.; quae poëta repetere noluit. Cur autem Clytaemestra omnino audivit Electram matrem per versus plus quinquaginta increpantem? Cur non prius decessit? Rem sic explicandam esse puto. Quamvis Clytaemestra, quo magis in eam invehebatur Electra, eo maiore furore afficeretur (quod vera esse sentiebat quae diceret illa), tamen stabat attonita, ut invita quasi convicta ante iudicis oculos obmutesceret. Nam scelestis os praecluditur coram virtutis maiestate. Adducebatur autem Clytaemestra etiam cupidine quadam sciendi, quaenam in se prolatura esset Electra, ut maneret, donec illa orationem finisset.

Addit Wilamowitzius: „Und auf die Erklärung, dass Elektra es schon zufrieden wäre, wenn sie Orestes zum Muttermörder erzogen, ist die Drohung mit Aegisthos' Heimkehr wirklich eine milde Entgegnung.“ Non possum haec verba comprobare. Nam illa Electrae verba exstant in eius oratione (v. 604 sq.), cui non respondet Clytaemestra. Aegisthi adventum minatur Electrae post versus 624 sq., quibus ea matrem acerbissime illuserat. Ceterum equidem nescio, quid terribilius Clytaemestra minari potuerit Electrae quam adventum Aegisthi. Nam fieri non poterat, quin Electra illorum Chrysothemidis de carcere subterraneo verborum reminisceretur (vv. 379 sqq.), quibus auditis tamen eius animus leviter commotus erat (v. 385). —

Pergit autem Wilamowitzius: „Unehrerbietigkeit und Gehässigkeit steht keiner Tochter wider die Mutter gut, mag diese sein, wie sie will.“ Obliviscitur Wilamowitzius quae Electra dixit v. 273 sq.:

. . . μῆτέρ' εἰ χρεὼν
ταύτην προσαυδᾶν κτἑ.

Paene matrem iam non agnoscit Clytaemestram. Videtur ei esse uxor officii oblita et patris interfectrix. Quare ne minime quidem respicit eam. Potius despicit Clytaemestram ideoque eam non miseret matris.

„Hier ist Selbstbeherrschung und Würde zudem entschieden auf der Mutter Seite.“ Equidem non multum inveni temperantiae atque dignitatis neque in verbis Clytaemestrae neque in factis. Confer chori verba: ὁρῶ μένος πνέουσαν. Est agitata affectibus, sicut omnes, qui sceleris sibi sunt conscii. Electra autem, qui accusatoris munere fungitur, temperantiae nunquam obliviscitur et ironia potissimum utitur adversus Clytaemestram.

Pag. 220 Wilamowitzius miratur, quod Clytaemestra apud Sophoclem nihil dicat de Cassandra, et concludit ex hac re Euripidis exemplum secutum esse illum in componenda Electra.[1]) Bruhnius antevenit me refutans Wilamowitzianam sententiam (pag. 320 sq.): ‚Mihi hoc mirum non videtur esse,‘ (quod Clytaemestra apud Sophoclem Cassandram non commemorat); ‚nempe Sophocles si vincere in illo iurgio voluit Electram‘ (et vinceret necesse erat), ‚non poterat alia proferentem facere Clytaemestram, nisi quae certe possent refutari; atqui hoc vix poterat ita redargui, ut omni culpa Agamemno liberaretur.‘ Confer quae dicit Flessa de hac re pag. 100. Censet Euripidem carpere voluisse Sophoclem, cum is Clytaemestram solam Agamemnoniae caedis causam proferentem fecisset Iphigeniam immolatam.

Unum autem neque Bruhnius neque Flessa respexit. Concedo Sophoclem Clytaemestram de Cassandra nihil fecisse dicentem, cum Electram in illo iurgio vincere oporteret. Sed alia est quaestio, num Sophocli rem tam improbabilem ob illam causam committere concedamus.

Prorsus enim non verisimile esse videtur Clytaemestram non cogitasse de Cassandra. Sed potest defendi Sophocles. Iam supra monui tales duarum personarum controversias more iudiciorum poëtas tragicos composuisse. Cum autem Athenienses magnopere delecta-

[1]) „Er trat damit in Gegensatz zu der geläufigen Vorstellung, indem er auf die Kyprien zurückgreift.“ Quam cogitationem Wilamowitzius appendice quam inscripsit: „Exkurs. Iphigenia.“ uberrime demonstrare studet. Confiteri non vereor oppressum esse me hac coniecturarum mole audacissimarum; de hoc excursu summo iure possunt dici, quae Singerus de tota Wilamowitzii commentatione scripsit pag. 53.

rentur talibus rebus (neque hoc mirum est), poëtae tragici ad sensum spectatorum quasi descendere non dubitabant, id quod inprimis Euripides fecit. Neque Sophocles plane abhorruit ab hoc usu.

Compositae autem videntur illae controversiae magis suarum ipsarum causa quam ad explicandum fabulae argumentum. Poëta hic quasi deponit poëtae sacrum munus, fit causidicus. Velut in nostra fabula Sophocles Electrae causam dicit; quare prudenter Clytaemestram nihil facit loquentem, quod Electra haud facile refutare possit. Certe non oblitus erat poëta Cassandrae neque excusabat Agamemnonem; sed ut causidici eos quoque homines defendere solent, quos scelus, de quo agitur, commisisse non ignorant, sic Sophocles Agamemnonem defendit, quamvis Clytaemestram, quod pertinebat ad Cassandram, satis habere, cur quereretur, ei esset persuasum.

Alia quae Wilamowitzius profert de Iphigeniae immolatione iam Bruhnius refutavit pag. 321. Vituperat Wilamowitzium, quod non recte definierit ‚Agamemnonis culpam, quae videretur Clytaemestrae.‘ Non enim illud illam reprehendere dicit, ‚quod pro Graecis et Menelao filiam immolaverit Agamemno, sed quod pro illis eam immolaverit, cum opus non fuerit hanc maxime immolari.‘ (Confer vv. 534 sqq.). Porro reicit Bruhnius Wilamowitzii quaestionem, num propter suam culpam potius quam pro fratre populove Iphigeniam immolare debuerit Agamemno.[1])

Wilamowitzius postquam Sophocleam fabulam aspere tractavit, Euripideae Electrae argumentum affert usque ad versum 420. Tum summam conficit ex comparatione ambarum fabularum, quoad comparavit (pag. 221 sq.), neque male loquitur de Electrae atque Clytaemestrae altercatione;[2]) sed non potest non rursus vituperare Sophoclem. Ubi enim de Euripidis consilio locutus est describendi Clytaemestram quam maxime potest misericordia dignam, pergit: „Bei Sophocles soll das Verhältnis das entgegengesetzte sein: aber mochte er auch versuchen, den Rahmen anders zu füllen, der Rahmen selbst war für seine Absicht nicht geschickt.“ Quid voluit significari Wilamowitzius vocabulo „Rahmen“? Altercationem opinor Electrae atque Clytaemestrae, occasionem duas mulieres inducendi rixantes inter se earumque mores describendi, sicut ratione

[1]) Haec sunt verba Bruhnii.

[2]) Hartungius Clytaemestram simulasse tantum illam erga filiam benignitatem. Contradicit Queckius pag. 42. Equidem Queckii sententiam sequar et poëtae causa et ipsius Clytaemestrae.

fabulae poëtae praescriptum erat. Et Euripides quidem usus est illa occasione, ut Clytaemestram meliorem describeret, ut deteriorem Sophocles. Si igitur id quod Wilamowitzium voce „Rahmen“, significat, aptum fuit Euripidi, cur Sophocli ineptum esset?

Postremo Wilamowitzius aliud argumentum profert, quo certe Sophoclem fuisse Euripidis aemulatorem posse se ostendere opinatur. Clytaemestram enim affirmare apud Euripidem (vv. 1027 sqq.) non pro patria, sed pro Menelao, qui non sciverit uxorem suam domi retinere adulteram, Iphigeniam immolatam esse. Cum autem Euripidea Electra nihil proferat contra illam Agamemnonis accusationem, Sophoclem adversarium carpendi occasione esse usum. Concedo apud Euripidem tacere Electram de Iphigeniae pro Menelao immolatione. Nonne autem vidit vir doctus Electram omnino non in animo habere refutare ea quae Clytaemestra dixit? Postquam paucis verbis attigit (v. 1086), id nititur, ut matris animum moveat admonens eam, quam turpis sit quamque scelesta eius cum Aegistho consuetudo. Non tam refutare vult matrem, quam conscientiam eius excitare (conf. v. 1061). Non intellexit Wilamowitzius rerum condicionem in Euripidis Electra plane esse aliam. Apud Sophoclem Clytaemestra venit ex aedibus atque increpat Electram ante portas versantem. In Euripidis fabula venit Clytaemestra ad Electram, cum haec eam, ut veniret, rogasset. Rogaverat sane consilio doloso; attamen iniquum esse arbitrabatur matrem, quae eius causa urbem reliquerat, contumeliis afficere; ex contrario miseret eam Clytaemestrae. Noluit Sophocles carpere Euripidem; sed quae fecit, respectis fecit fabulae suae ratione artisque legibus, sicut supra ostendi.

Hic paulum acquiescamus. Quid adhuc demonstrare voluit Wilamowitzius? Voluit demonstrare in Sophoclis fabula, quoad recensuit, omnia esse extrinsecus allata atque gravibus carere causis, apud Euripidem omnia esse laude digna, et ob hanc ipsam causam Sophoclem Euripidis esse imitatorem. Vides igitur Wilamowitzium quaerendi plane aliam ingressum esse viam ac Flessa ingressus est. Non enim copiam collegit nonnullorum locorum, quibus Euripidem fuisse exemplar Sophoclis demonstraret, sed quasi ex ipsa fabula thesin suam confirmare conatus est. Quam rationem quasi nobiliorem cum omnibus aliis anteponam, tamen Wilamowitzio illa ratione, quod voluit, eum esse assecutum concedere non possum. Dicit quidem pag 223: „Folglich ist die Elektra des Sophokles mit Kenntnis der euripideischen gedichtet oder vielmehr durch sie ver-

anlasst." Sed haud scio an immodestiam mihi crimini sis daturus Wilamowitzii argumenta me accuratius et melius quam Singero contigit refutasse contendere conanti.

Wilamowitzium autem non solum Sophoclem post Euripidem Electram suam composuisse scit, sed etiamSophoclem Euripidis Electra, ut suam componeret, esse adductum invenit. „Das post hoc kann nur ein propter hoc sein,[1]) wenn Sophokles den Stoff, dessen Behandlung durch Aeschylus er schon als namhafter Dichter erlebt hatte, 40 Jahre unberührt liess, dann als 80jähriger aufnahm und im bewussten oder unbewussten Anschluss an Euripides bearbeitete, der doch auch die Oresteia gesehen hatte und auch so lange gewartet hatte." Equidem demonstrari posse Sophoclem Euripidis exemplo adductum Electrae fabulam composuisse negaverim, etiamsi Wilamowitzius Euripidis Electram priorem esse ostendisset. Nonne sunt variae causae, quibus adducti vel hoc vel illud argumentum fabulis poëtae tractant? Num nulla alia causa tractare possunt quam aemulatione adversarii? Nonne fieri potest, ut poëtae in componenda fabula aliqua huius ipsius fabulae argumento impulsi novam tragoediam scribendi capiant consilium?

Et quam Wilamowitzius vult intellegi vocem „unbewusst?" Ne quis mihi Sophoclem ea quae fecerit fecisse dicat inscium. Sophocles quae fecit certo consilio certaque ratione fecit huiusque rationis bene sibi conscius fuit.

Quae Wilamowitzius profert pag. 224—242, non pertinent ad meum propositum. Nam dicit pag. 224: „Was den Sophokles vermochte, in die Konkurrenz mit Euripides einzutreten, ergibt sich, wenn man sich klar macht, was Euripides in seiner Electra hat geben wollen." [2]) Sed noluerim plane neglegere hanc Wilamowitzianae commentationis partem ea potissimum causa, quod occasione data easdem quas antea accusationes Sophoclis profert.

„Für ihn war das Verhältnis zu Aeschylus das bestimmende; an ihn hat er sich überhaupt in seinem Greisenalter mit steigender, auch formeller Umwandlung seiner eigenen Dichtweise angeschlossen. Diessmal nahm er ausser dem bei Aeschylus Gebotenen nur sehr wenige Sagenzüge anderswoher auf..." Quaestio, num Euripides

[1]) Hanc cogitationem Singerus commemorat pag. 55, ubi conspectum quendam praebet Wilamowitzianorum argumentorum; postea autem non iam loquitur de hac re.

[2]) Confer Steinbergium pag. 25 et Weilium pag. 567.

in posterioribus fabulis ad Aeschylum se applicaverit, novae commentationis materiam mihi praeberet. Quod autem ad Electram utriusque poëtae attinet, Flessa optime demonstravit Sophoclem in Electrae fabula maxime se applicasse ad Aeschyli Choephoros, cum Euripides nonnullis tantum rebus iisque extrinsecus allatis Aeschylum imitatus sit.

Tum loquitur Wilamowitzius de exsecratione per domum Pelopidarum grassante (conferri iubens El. vv. 737 sq.:

λέγεται, τὰν δὲ πίστιν
σμικρὰν παρ᾽ ἔμοιγ᾽ ἔχει κτἑ.).

„Er wusste, was er that, und wesshalb er von Aeschylus abwich. Die religiöse Tiefe der Oresteia würde er ja doch nie haben anstreben können; denn nur in einer trilogischen Behandlung und unter den Händen eines ... theologischen Dichters konnte der Mythus die universelle Bedeutung erhalten." Singerus (pag. 75) contra hanc Wilamowitzii sententiam dicit: „Was zunächst die trilogische, das heisst die trilogischorganische Behandlung betraf, so war sie dem Euripides ebenso gut gestattet, wie dem Aeschylus. Es hing die Art der Behandlung lediglich vom Dichter selbst ab. Wenn aber Euripides im vorhinein dem Stoffe unterliegen zu müssen glaubte, wer zwang ihn denn, eine Elektra zu schreiben?" Quae Singerus dicit de trilogica tragoediae forma, comprobare non possum. Nam Euripidis temporibus poëtae tragici iam desierant trilogiae uti forma (Elspergerus pag. 5). Omnino Singerus Wilamowitzium verbis „unter den Händen eines theologischen Dichters" summum attribuere momentum non vidit. Is tantum poëta, qui sic cogitabat de deis et de fato, ut Aeschylus, describere potuit, quomodo exsecratio antiquitus tradita per hominum genera increverit et tandem evaserit in terribilia scelera, id quod optime fabularum trilogia effici poterat, cum haec sola forma poëtae satis spatii praeberet ad talem materiam explicandam atque explanandam. Haec fere Wilamowitzius dicere voluit. Ceterum dubitem, nonne tamen id potuerit Euripides, quod potuisse cum nulla condicione censet Wilamowitzius. Confer totam Baccharum fabulam, quae profecto nominanda est opus poëtae pii atque colentis deos. Et erat versatile et volubile Euripidis ingenium. — Postremo quaeram ex Singero, unde Euripidem materiam se non esse superaturum sensisse compererit.

Pag. 226 sq. Wilamowitzius pulchre atque venuste dicit de ratione, quae intercedat inter Euripidem et fabularum traditionem.

Et ipse Singerus laudat eum pag. 75. Unam autem discrepantiam crimini vertam Singero. Nam pag. 55 in illo conspectu (de quo dixi pag. 62 ann.) affert magnam illius Willamowitzianae disputationis partem postea, ut opineris, de ea dicturus; sed frustra quaesivi, nusquam repetit Singerus quae excerpsit pag. 55; in universum laudat totam Wilamowitzii disputationem. Ceterum hanc Wilamowitzianae commentationis partem legentes mire afficimur. Nam non minus apte haec omnia ab iis dici possunt, qui Sophoclis Electram priorem esse demonstrare volunt. Audias Wilamowitzium: „Die gläubige Seele, welcher der Mythus heilige Wahrheit war, erbaute sich an der vollkommenen Lösung des Konfliktes. Euripides war in diesem Sinne keine gläubige Seele und vor dem Mythus hatte er nicht den geringsten Respekt. Seine Kritik stand nirgend stille und nach dem Kanon seines individuellen Rechtsgefühles bestritt er auch dem Mythus die Wahrheit, öfters die Sittlichkeit, was in göttlichen Dingen einem Bestreiten der Wahrheit gleichkommt. Die ganze Heldensage war für ihn nur der Thon, aus dem er seine Figuren knetete." (pag. 226). Talem autem, qualem hic Wilamowitzius describit Euripidem, is se praestat in Electrae fabula. Ergo fieri non potest, ut Euripides hanc fabulam ante Sophoclem composuerit. Nam ea de religione et de fabulis antiquitus traditis opinio, qualem invenimus in Euripidis Electra, nondum erat usitata Sophoclis temporibus. Quam ingens est differentia in hac ipsa re inter utramque Electram! Porro dicit Wilamowitzius: „Der Mythus war eine Schranke der dramatischen Kunst geworden: Euripides brach sie und hob damit das Drama auf den Gipfel, dass es die Menschen darzustellen vermochte, wie sie sind. Auf ihrem Höhepunkt muss jede Kunst die typischen Formen abstreifen." Quid amplius exspectamus? Euripidem in explicanda tragoedia pervenisse ad extremum finem Wilamowitzius ipse concedit. Atqui Euripidis Electram, in qua fabula poëta certe homines tales depinxit, quales sunt, priorem esse censet Sophoclis Electra, in qua non iam homines, sed heroes agere videntur. ‚Fortasse Sophocles de industria Euripidis Electrae ad nova tempora vergenti suam opponere voluit propugnatricem sententiarum fere obsoletarum.' Minime. Id libenter concedo Euripidem tragoediam suam Sophocleae opposuisse. Nam cum aliter de parricidio sentiebat ac Sophocles tum fabula sua progressus est in tragoedia explicanda secundum aetatis suae ingenium. Sophoclem autem adversarii aemulatione num poterat

exspectari artem, ut regrederetur, esse coacturum? Non cogitari potest de tanta Sophoclis perversitate. Et erat prudentior quam ut aequalium suorum opinioni resisteret; nam et versabatur inter eos et poëta aequalium eget assensione, si quidem ingenium suum pervenire vult ad maturitatem.

Singerus vituperat Wilamowitzii verba: „Orestes, der die Mutter kaum gekannt hatte, konnte Euripides zum intellektuellen Urheber des Verbrechens nicht brauchen," iniuria, ut opinor. Orestes enim non ut Electra per multos annos testis fuerat Clytaemestrae foedissimi cum Aegistho convictus neque scio an non recordaretur patris caedis. Quare Oresti Clytaemestra magis etiam mater esse videbatur quam homicida atque adultera. Neque in Euripidis Electra Orestes agit Apollinis obsequens mandato, sed egebat causis, quibus ad matris caedem impelleretur. Electra autem permultas poterat afferre causas, cum ad illud tempus Clytaemestrae odium tolerare debuisset. Quare rursus errat Singerus dicens pag. 76: „Aber gerade darum, weil Orestes die Mutter kaum gekannt hatte und daher denselben nicht persönliche Gefühle an jene fesseln konnten, er in ihr vielmehr nicht die Mutter, sondern nur die Mörderin seines Vaters sah, war er mehr als Elektra zum intellektuellen Urheber des Muttermordes geeignet." Quaeram ex Singero, num inter Orestem et Clytaemestram, si ille matrem cognovisset, consuetudinem quandam familiarem fuisse intercessuram existimet. Num intercessit inter matrem atque Electram, quippe quae satis temporis habuisset matris cognoscendae? Minime, acriore odio imbuta erat temporis diuturnitate. Addit Singerus: „und Elektra war ein Weib, an dem wir doch lieber Milde und Weichheit, als Hartherzigkeit und Grausamkeit sehen." Mea quidem sententia de hac re cum poëta expostulare nobis non licet. Talem descripsit Electram suam, qualem voluit describere; non aliter Sophocles. Iniuria petit Singerus a poëtis, ut mulieribus semper animum mollem atque blandum impertiant; reminiscatur Medeae! Ceterum bene accidit, ut hoc loco occasionem nanctus sim disserendi de Electrae Euripideae moribus atque ingenio, cum Wilamowitzius pag. 229 sqq. uberrime de Euripideae Electrae ingenio disputet. Secutus autem est rationem, quae mihi quidem prorsus displicet. „Sie beherrscht, tyrannisiert, verachtet im Grunde den Mann, dem sie doch zum Danke verpflichtet ist." — Nonne legit Wilamowitzius vv. 67—77, quorum quasi summa versus est 67:

ἐγώ σ' ἴσον θεοῖσιν ἡγοῦμαι φίλον· ?

Num haec esse videtur contemptio? Colloquens cum Oreste non veretur quidem queri matrimonium suum (nam, cum esset regis filia, alium maritum esse se adepturam speraverat), sed agnoscit coloni in ipsam benevolentiam (conf. vv. 253, 257, 259, 261). Hunc si revera contempsisset, invehendi in eum absentem coram Oreste occasionem certe non praetermisisset. Nam apellat eum *ὦ φίλτατε* (v. 345). Num hanc quoque contemptionis esse significationem Wilamowitzius opinatur? ‚At Electram pudet mariti falsi, id quod consequitur ex versu 366:

οὗτος κέκληται πόσις ἐμὸς τῆς ἀθλίας.'

Quaeram, num Electram talem maritum esse se nanctam gloriaturam esse exspectes. Hoc ipso momento, quo visurus est Orestes colonum, Electra condicionem suam altero tanto graviorem esse sentit, quare nobis vituperare eam non licet, quod quasi invita regiam suam prae se fert indolem. Et ipse Orestes stupefactus est virum conspiciens; conf. v. 364 sq.. ‚At vehementer increpat maritum vv. 404 sq. et 408 sqq.' Wilamowitzius dicit pag. 230: „Wie kanzelt sie den Bauern ab, dass er die Fremden eingeladen hat, und als der Biedermann zu meinen wagt, sie würden für den Hunger wohl auch mit Bauernkost zufrieden sein, schickt sie den ärmsten über Land, um eine standesgemässe Kollation zu holen." Narrat nobis Wilamowitzius res, quarum nullam invenire potui in Euripidis versibus. Clementer vituperat maritum, quod tam nobiles peregrinos invitaverit non respiciens domus penuriam. Miseret eam viri, cum advenis non potiorem cibum porrigere possit. Non igitur Electram versus 404 et 405 magna voce declamasse licet opinari. Ubi autem Euripides de peregrinorum fame loquitur? Nusquam; commentus est Wilamowitzius. Nihil dicit colonus nisi viros tam ingenuos exiguo quoque cibo contentos fore sese sperare. — ‚At enumerantur cibi.' Quis enumerat? Neque colonus neque Electra. Senex gregum pastor enumerat vv. 494 sqq. . Nonne hunc decet enumerare? Optime, ut opinor.

Pergit Wilamowitzius pag. 231: „Köstlich ist es doch, dass die ganze Sorge umsonst ist und der Bauer Recht behalten hat. Denn das Frühstück, das der Alte bringt, bleibt unberührt, so dass Orestes, wenn wir nicht annehmen, dass er nüchtern gegen Aegisth abzieht, doch nur Bauernkost bekommen hat." Equidem poëtam tali modo ludibrio habere Wilamowitzium valde dedecere contenderim. Ne minimum quidem affert ad rem, utrum Orestes et Pylades gustent cibos a pastore allatos necne. Satisfecerunt Electra et colonus hospitii officio. Ceterum haud scio an non Orestes tum fame sit cruciatus.

Iam supra (pag. 47 sq.) Singeri humilem de Electrae moribus opinionem vituperandi occasione usus sum. Velut dicit pag. 64: „Elektra erscheint vielmehr . . . als ein boshaftes, zänkisches Bauernweib, das fast mehr deshalb zu jammern scheint, weil es ihr an gebührender Wohnung und Kleidung gebricht, als weil ihr Vater ermordet wurde." Quid dicas de talibus ineptiis? Nunc autem de significatione „frivol" loqui volo, quam Singerus Electrae indit; dicit enim et ipse Wilamowitzius: „Frivolität, das ist ihr Charakter." Quam sententiam Weckleinius acerrime, ut aequm erat, castigavit. Quae autem profert Wilamowitzius ad confirmandam suam sententiam?[1] „. . . vor Aegisthus' Leiche, nachdem sie sich eine ganze Weile über Dinge ausgelassen hat, die nicht nur in eines attischen Mädchens Munde anstössig sind, versichert sie, gewisse Punkte nur verständlich anzudeuten, weil sie sich für eine Jungfrau nicht schickten."

His verbis certe voluit significare Wilamowitzius versus 918—924. Quid dicit Electra? ‚Stultus fuisti homo, cum Clytaemestram fidam tibi fore speraveris, quippe quae non fida fuerit priori marito.' Inest autem in versibus 921—924 eadem sententia, quae in vv. 918—920, ut illos versus interpolatori deberi suspiceris; sunt etiam duri atque inconditi. Quos si expunxeris, restant vv. 918—920, quibus Electra Aegisthum quasi aceto perfundit acerrimo. Ceterum confer quae dixi pag. 15 de ann. 1 his versibus. — V. 925 sqq. Electra loquitur de rebus, quae quidem matronae magis quam virgini aptae videantur, non quo pudorem offendant, sed quia versus illi loquacem quandam prudentiam prae se ferunt, ut paene hic quoque interpolatorem officio suo functum esse ut putes, adducaris. — V. 945 sq. dicit Electra:

τὰ δ' εἰς γυναῖκας, παρθένῳ γὰρ οὐ καλὸν
λέγειν, σιωπῶ, γνωρίμως δ' αἰνίξομαι.

Ipsa igitur loquentem se de his rebus ultra modum progressuram non esse profitetur. Ergo non est progressa. An Wilamowitzius mentiri Electram existimat? Ceterum consideremus ea quae dicit vv. 947—957: maritum sibi cupit non effeminatum, sed virilem.

[1] Nonnulla iam in Singeri refutatione refelli (pag. 47 sq.), quare hic quidem nolo repetere.

Quid hic nos offendat? An crimini ei vertemus mariti desiderium? Ridiculum esset, mehercule. Unum locum afferam pro multis. Dicit Antigona v. 916 sqq.:

καὶ νῦν ἄγει με διὰ χερῶν οὕτω λαβὼν
ἄλεκτρον, ἀνυμέναιον, οὔτε τοῦ γάμου
μέρος λαχοῦσαν οὔτε παιδείου τροφῆς, κτὲ.

Restat Electrae oratio vv. 1060 sqq.. An hic Wilamowitzius vituperationis illius ansam invenit? Fieri non potest. Nam ut Electra acriter invehitur in matrem, ita invehitur neque ignominia illam affectura neque gaudio loquendi de talibus rebus, sed ut conscientiam matris excitet, id quod iam supra annotavi.

Wilamowitzium igitur iniuria tam grave crimen intulisse Electrae vidimus. ‚Quomodo autem tu ipse iudicas de Electrae Euripideae moribus atque ingenio?‘ Electrae animus re vera bonus est et ingenuus, id quod supra ostendisse me existimo. Est autem exacerbata perpetua miseria. Seclusa ab omnium consuetudine, quibus regiae virgines solent uti, privata omni vitae iucunditate satis otii habuit indulgendi irae atque odio, et eiusmodi homines animi motus minime regere docet nos illa quae fertur de animi humani natura scientia. Confer quae dicit Weilius: ‚On ne reconnaît plus la noble vierge de Sophocle dans cette passion féroce.‘ Hac ratione explicem nonnulla quae mira nobis videantur in Electrae ingenio. [1]) Praeterea autem etiam aliud respiciendum esse videtur. Nupta est Electra, quamvis ad illud tempus virgo manserit. Quare fieri non poterat, quin Electra procedente tempore de rebus ad matrimonium pertinentibus magis e mulieris more quam virginis et sentire et loqui inciperet. Hanc propriam Electrae condicionem si respiciemus, non iam mirus nobis videbitur dolus ille, quo utitur Electra ad alliciendam Clytaemestram. Tertium affero id quod iam supra commemoravi, Euripidem, ut quam maxime moveret spectantium animos, non nunquam superlationes commisisse.

Wilamowitzius autem etiam alia vituperat in Electrae ingenio. Dicit: „Schon als kleines Mädchen will sie aufgepasst haben, welche Toilette Klytaemestra nach ihres Gatten Ableben gemacht hat.“ Quid hic mirum est? Est enim positum in natura hominum eos, si puerili aetate grave aliquod factum viderunt, multis annis post non ipsius facti meminisse, sed singulae alicuius rei, qua tum eorum

[1]) Conf. Wilamow. pag. 231 ann.

animi multo magis occuparentur quam ipso facto, quod, quanti momenti esset, nondum intellegere poterant. „Sie hat einmal auch einen Bräutigam gehabt, ihren Onkel Castor, das verfehlt sie nicht, dem Boten des Bruders beizubringen und es dient auch als Würze in der Rede wider die Mutter.“ Praecipit Electra nuntio, ut dicat fratri ab omnibus esse se relictam. Non posse se familiariter uti puellis, pudere se Castoris, cui antea fuerit sponsa, non iam se habere matrem: nihil vituperandum invenio. Quid autem significare voluit Wilamowitzius „es“ vocabulo? Electram antea sponsam fuisse Castoris? Hoc absurdum esset; nihil enim dicit Electra de hac re vv. 1064 sqq.. Res facilis est ad intellegendum. Dicit Electra: ‚Tu, Clytaemestra, tuaque soror insignes estis corporis pulchritudine; sed vita vestra indigna est Castore fratre, qui ablatus est in caelum.‘ „. . . Der Gatte, so gehorsam er auch ist, traut ihr doch nicht recht. Als er sie mit zwei jungen Leuten im Gespräch trifft, ist ihm das verdächtig, sie entschuldigt den Bauern bei den Gästen, als hätte er eine Sotise gesagt.“ Profecto habet Electra, cur excuset maritum. Nam ex versibus 341 sqq. manifeste consequitur colonum profecto peregrinos mala fide ad se venisse opinari, quam propter opinionem pro animo eius agresti reprehendere eum non licet; Electram autem excusare eum oportet. „Ihr erster Auftrag für den Bruder ist die Klage über ihre schlechte Kleidung.“ Concedo Electram nuntio imperare, ut primum Oresti, quam misera sint sua vestimenta, narret. Sed hoc eam mandasse illi puto non eo, quod gravissimum esse existimabat pulchra carere veste, sed primum loquitur de corporis, dein de animi miseria. Orditur igitur ab iis quae statim sub oculos cadant, deinde reliqua commemorat maiore cum diligentia. „Auf uns wirkt es fast lächerlich, wenn sie den Orestes aufgefordert werden lässt von Hand und Mund und Seele und geschorenem Haupte und seinem Vater.“ Mihi quidem non ridicula esse videntur haec verba:

πολλοὶ δ᾽ ἐπιστέλλουσιν, ἑρμηνεὺς δ᾽ ἐγώ,
αἱ χεῖρες ἡ γλῶσσ᾽ ἡ ταλαίπωρός τε φρὴν
κάρα τ᾽ ἐμὸν ξυρῆκες ὅ τ᾽ ἐκείνου τεκών.

Ex contrario singularem elegantiam eis attribuerim. Iubet Electra nuntium colloqui cum Oreste nomine suarum ipsius manuum, quae muneribus servilibus paene crassae factae sint, linguae, quae tot aerumnas ei narraverit, animi, quem tantopere oppressum esse cognoverit, capitis tonsi, quod dedeceat virginem regiam, patris,

qui ab illo caedis ultionem flagitet. „Ganz besonders aber ist die Frühstücksaffaire zur Charakteristik in dieser Beziehung erfunden.“ Nonne Wilamowitzius id agi vidit, ut pastor praetergrediatur tumulum Agamemnonis, ibi Orestis libationem inveniat, postea prodeat in scaenam Orestem agniturus? Ob hanc causam Euripides illos versus scripsit, non ut Electrae rursus miseriam suam dolendi praeberet occasionem. „Wie sie den Gatten behandelt, so thut sie es mit dem Paedagogen, der keinen Dank für seine Mühe, sondern nur hochfahrende Zurechtweisung für seine leichtsinnigen Hoffnungen zu hören bekommt.“ Significat Wilamowitzius versus 508—547. Primum regum filias servos non alloqui solere moneam, quasi istis sint pares. Deinde iam supra memoravi Electrae animum plane esse exacerbatum. Tales autem homines spei locum dare admodum dubitant, quin etiam gaudio quodam afficiuntur aliis, quam vana sit eorum spes, ostendentes. Tum illos versus re vera non Electra loquitur paedagogo respondens, sed Euripides ipse vituperans Aeschylum et fortasse etiam Sophoclem. Inseruit igitur versus non ipsorum causa versuum, sed certo adductus consilio. Quasi oblitus est praesentis rerum condicionis, ut acriore sono poëta quod usus est cur miremur iam non habeamus. Ceterum confer v. 577 sq. „Als sie den Bruder wiedererkennt, bringt sie nicht mehr hervor als ein paar konventionelle Phrasen.“ Quidnam Electra dicit? *ὦ χρόνῳ φανείς* et *ἔχω σ᾽ ἀέλπτως* (conf. v. 570) et *οὐδέποτε δόξασα* et *ἐκεῖνος εἶ σύ*; — Et abrupte dicit, nequit plus dicere, nimium est gaudium. Sed suavissimum voluptatis sensum Electra manifestat verbis illis, quae Wilamowitzio tam vilia tamque inania esse videntur. Hic quoque Euripides humanae naturae peritissimum esse se ostendit. Quae sentiunt Electra atque Orestes, verbis non possunt exprimere. An Wilamowitzio *κομμός* multorum versuum magis placuisset?

„Im Eingang klagt sie zwar breit genug, aber was ist die ganze Monodie mehr als eine Summe von Gemeinplätzen?“ Non possum Wilamowitzio assentiri. Sunt querelae Electrae lugentis patris mortem, adventum fratris desiderantis. Quaenam alia proferat? Sophoclea quoque Electra illas duas cogitationes variat. Ceterum versus 112—167 insignes sunt luctuosa quadam venustate, quae potissimum versibus 112—114 repetitis efficitur. Praeterea autem illorum versuum repetitione toti lamentationi forma cantici attribui videtur. Quaeram ex Wilamowitzio, num praeclaram illam de cygno imaginem locum esse putet communem. „.... sie treibt das Klagen, um gegen Aegisthus und die verfluchte Mutter zu demonstrieren, wie sie das Wasserholen selbst besorgt...“ Dicit Electra v. 56 sqq.:

φέρουσα πηγὰς ποταμίας μετέρχομαι,
οὐ δή τι χρείας εἰς τοσόνδ᾽ ἀφιγμένη,
ἀλλ᾽ ὡς ὕβριν δείξωμεν Αἰγίσθου θεοῖς.
γόους τ᾽ ἀφίημ᾽ αἰθέρ᾽ εἰς μέγαν πατρί.

Wilamowitzius in v. 59 *τ᾽* particulam delet et hunc versum coniungit constructione cum versu 58, quam rationem comprobare loci sententia vetamur. Dicit Electra aquari se, non quo necessitate aliqua ut faciat cogatur, sed ut provocet in Aegisthum deorum iram. Tum pergit: *γόους τ᾽ ἀφίημ᾽ κτέ.* Matris mentionem facit in 60. demum versu. Iniuria igitur Wilamowitzius Electram Aegisthi odio lamentari contendisse vides. Aquatur, id est servae munus suscipit, ut revera servam se esse demonstret, quare ancillae non utitur auxilio. ‚Certe utitur; nam alloquitur illam verbis his‘: „Nimm mir die Hydria vom Kopfe, ich muss mein Klagelied singen.“

Nonne vides? — Electrae animus lamentando magis magisque commotus est, quare versus 144—167 maiore voce recitasse eam valde probabile esse videtur. Omnes autem, qui magna loquuntur voce, gestus agunt: ergo Electram hydriam deponere oportet. Hoc autem momento, quo Agamemnonis manes invocat, indignum eum se ipsa tum patre esse putat speciem affectare servae. Hac ratione explicasse me existimo et cur non ipsa deposuerit hydriam et cur omnino hydriam capite ferens noluerit obtestari patrem aliam attulisse causam. Ceterum exstat post v. 139 lacuna haud exigua neque quisquam dicere possit, quae fuerint versuum perditorum et sententiae et verba. Id certum esse videtur ad v. 140 transitionem, si relictos haberemus illos versus, faciliorem fuisse futuram.

In annotatione Wilamowitzius vv. 1214—1217, quos Orestem loqui censent editores, Electrae attribuit addens: „Also haben wir anzuerkennen, dass Electra das Schwert gegen die Mutter gezückt hielt, aber von der Mutter Flehen wenigstens so weit gerührt ward, dass sie es fallen liess.“ Audias Weckleinium: „Wie wir gar sahen, dass die Verse Eur. El. 1214—17 dem Augenschein zum Trotz der Elektra gegeben werden, da verloren wir vollends alles Vertrauen.“

Wilamowitzius postquam argumentum Euripideae Electrae attulit, explicare studet, qua causa adductus Sophocles Electram

suam composuerit. Pauca ex iis quae profert diligentius tractare volo. „Der aeschyleische Drang, die tiefsten sittlichen Probleme im Drama zu lösen und in der Durchgeistigung des Mythus die Religion der Väter in den Herzen seines frommen Volkes zu erhalten, lag Sophocles ferner." Equidem Sophoclem et ipsum ethica problemata in tragoediis tractavisse puto. Admoneo solam Antigonae fabulam. ‚Scriptae leges inferiores sunt iis quas ipse natura inscripsit in animis nostris.' Nonne haec est grandis quaestio atque sublimis? Quae autem addidit Wilamowitzius, ipse paulo post refutat his verbis: „Er gab dem Volke des Volkes Gut, geformt in seinem Geiste zurück." Nihil enim aliud his verbis dicere voluisse videtur nisi quod modo significavit „Durchgeistigung des Mythus". Et rursus se ipsum refutat Wilamowitzius dicens: „Er war keiner der genialen Neuerer, welche an der Sage selbst mit kühner Phantasie weiter dichten." Erat retinens cum fabularum traditarum tum religionis. Hanc semper praedicabat in tragoediis, hanc conservabat et colebat. „Und doch hat sich der Glücklichere selbst dem Einflusse der überlegenen Genialität seines Rivalen nicht entziehen können, er hat es wohl gar nicht gewollt . . ." Iam pag. 20 Sophoclem in posterioribus fabulis nonnullis rebus ad Euripidem se applicasse commemoravi. Hoc libenter concedo Wilamowitzio. Sed vellem non dixisset de superiore Euripidis ingenio. Meo enim iudicio utrius ingenium maius fuerit omnino non potest diiudicari. Nam uterque magno ingenio fuit praeditus; sed si comparaveris, magis dissimiles inter se esse eos invenies quam similes. Neque hoc concesserim Wilamowitzio Sophocles quin applicaret se ad Euripidem fieri non potuisse. Iam prius Wilamowitzius Sophoclem fabularum traditarum vi modo superiorem, modo inferiorem fuisse contendit. Eadem quae illo loco in Wilamowitzii sententiam protuli hic repetere mihi condones. Quae vero addit Wilamowitzius: „Wenigstens finden sich bei ihm so direkte Hinweisungen auf Dramen des Euripides, wie sie jenem nur für eigene Schöpfungen nachgewiesen sind", prorsus reiciam. Quaenam profert exempla ad sententiam illam demonstrandam? Exspectes gravia atque certa. Wilamowitzius autem praebet nobis in annotatione pag. 234 incerta, dubitationis plena, quae et ipsi tibi, si legeris, vix satisfactura esse mihi persuasum est. Sed audias, ad quantam audaciam Wilamowitzius progrediatur! Scribit: „Viel augenfälliger ist die Umgestaltung der sophokleischen Poesie selbst durch den Anschluss an Euripides. Das

gilt vom Maschinengotte und Prolog, von der kommatischen Parodos und dem Redekampf, das gilt von der psychologischen Durchbildung der Charaktere und (sehr häufig) von der Wahl des Stoffes, das gilt in allem Einzelnen von der Sprache." Quid dicam de hac mira sententia? Hic quidem Singerus, postquam diu tacuit, vocem rursus intendit acriter invecturus in Wilamowitzium pag. 78.

In sola Philoctetae fabula usus est Sophocles illo qui dicitur ex machina deo. Confer quae dicit Dindorfius: ‚Ita in fine fabulae deorum voluntate perficitur, quod improbis quas in initio fabulae meditatus erat Ulixes artibus effici non potuerat.' Quam saepe Euripides induxit in tragoedias illum caelestem conciliatorem! Quod autem attinet ad prologum, quam multum intersit in universum inter Sophocleos et Euripideos prologos, supra ostendi.

Pag. 243 Wilamowitzius ipse dicit: „Die Bühne ist an dem ersten Chorlied bei Sophokles noch im Philoktet und im Oedipus auf Kolonos beteiligt, in ersterem hat aber Neoptolemos nur . . . Anapaeste und ein paar Wörter eines jambischen Verses." Num licet, cum sic se habeat res, Sophoclem in hac re ad Euripidem applicasse se contendere?

Certamina verborum quot sint in Sophoclis, quot in Euripidis fabulis, inquirere nolo. Tantum admoneo ea quae de talibus controversiis scripsi pag. 59 sq.

Paene autem absurda mihi esse videntur verba: „Das gilt von der Wahl des Stoffes." Confer quae dixi de tragicorum Graecorum argumentis pag. 15. Longe ultra modum progressus est Wilamowitzius affirmans Sophoclem accuratissime Euripidis dicendi genus esse imitatum. Neque opus esse videtur de hac re plura facere verba.

Verba autem: „Das gilt von der psychologischen Durchbildung der Charaktere" vix tolerari possunt. Ne id quidem, quod inprimis est poëtae veri atque ingeniosi, artem morum describendorum Wilamowitzius Sophocli attribuit!

Tum pergit pag. 235: „Auch in der Elektra ist Sophocles . . . von Euripides abhängig gewesen, . . . und doch verschwindet die Aehnlichkeit wenigstens beim unmittelbaren Genuss der Poesie völlig. Aber allerdings ist das Drama auch bestimmt, gegen Euripides zu wirken." Mihi quidem Wilamowitzius non persuasit Sophoclem in Electrae fabula componenda imitatorem fuisse Euri-

pidis. Ceterum adiuvat me Wilamowitzius concedens evanescere similitudinem in legenda fabula. Aut adest similitudo aut non adest. Si adest, animadvertamus eam necesse est, sive tragoediam perlegimus tantum sive critico iudicio tractamus. Atqui Wilamowitzius similitudinem se non animadvertisse in ipsa fabulae lectione concessit: ergo non adest similitudo, non imitatus est Euripidem Sophocles. „Elektra trägt fortan die sophokleischen, nicht die euripideischen Züge.“ Res sic se habet, sed non quod Sophocles tragoedia sua Euripidis fabulam oblivioni tradidit, sed quia Euripidi non contigit adversarii tragoediam vincere. Non dubito, quin Euripidis Electra Atheniensibus initio haud exiguam voluptatem praebuerit; postea autem Sophoclea Electra principatum occupavit atque obtinuit usque ad hunc diem. Servavit enim Sophocles veram atque pristinam fabulae formam; Euripidis autem Electra nihil aliud est nisi ingeniosum experimentum tractandi atque immutandi fabulam traditam cum omni libertate. Euripidi, quo erat ingenio, contigit; omnes alios poëtas periculum non fuisse evitaturos admodum probabile est.

Pag. 206 repetit Wilamowitzius nonnullas Sophoclis accusationes et affert quaedam, quae Sophoclem ab Aeschylo[1]) et Euripide mutuatum esse putat. Tum pergit pag. 237: „Ebensowenig wie Reichthum der Erfindung (mire assentitur Guentherus pag. 151) ist religiöse Vertiefung bei Sophokles zu finden.“ Quaenam inveniret Sophocles? Accepit argumentum fabulae ab Aeschylo et ita tractavit, ut Sophoclea Electra nominari debeat opus artis absolutum atque perfectum.

---

[1]) Quae omnia Flessa diligentissime collegit pag. 25 sqq. et conclusit fabulam quandam, in qua poëta tantopere applicasset se ad antecessorem, prius compositam esse oportere quam alterius poëtae de eodem argumento tragoediam. Quae vero dicit Wilamowitzius: „Dass Electra von Grabspenden ihres Bruders zwar hört, aber durch ihren Unglauben von sich weist, ist ein euripideisches Motiv“, laudare non possum. Nam apud Sophoclem Electra antea nuntium fratris acceperat, quare non poterat cogitare de Orestis adventu. Euripidea autem Electra, quamvis ab Oreste fratrem esse vivum audierit, tamen paedagogo diffidit. Causa perspicua est. Dicit ipse Wilamowitzius in annotatione: „Die altkluge Kritik der Vorschläge, welche der Alte macht, ist nicht nur nicht überflüssig, sondern um ihretwillen hat Euripides überhaupt den Alten zum Grabe geschickt.“ Et tamen Wilamowitzius Sophoclem illo quidem loco de Euripide aliquid mutuatum esse contendit.

„Im Gegenteil, es fehlt nicht nur die typische Bedeutung des Mythos, . . . es ist das sittliche Problem überhaupt umgangen oder vielmehr ignoriert.“ Quam sententiam prorsus falsam esse contenderim. Concedo Sophoclem Orestem non descripsisse cunctantem ante caedem atque morantem, postea paenitentia capessitum. Sed agentem eum facit secundum Apollinis imperium et hoc ipsum fabula sua voluit ostendere diis oboediendum esse, quodcumque imperant. Quare non intellego Wilamowitzii verba: „Orestes handelt im Auftrage Apollons, aber die göttliche Sendung ist nicht wesentlich.“ Ego divinum mandatum summi esse momenti puto, quin etiam totius fabulae fundamentum. (Conf. Soph. El. vv. 35 sqq., 70, 1264, 1266 sqq., 1383, 1384 sqq., 1425).

„Nur die Vorsicht gebrauchte Sophokles, den Tod des Aegisthos ans Ende zu rücken, damit wenigstens der letzte Eindruck, den der Zuschauer erhielt, nicht der verletzende war.“ Sed Sophocles non solum prudenter egit, sed etiam summam ingenii subtilitatem manifestavit collocans in fine fabulae Aegisthi caedem. Nam si Aegisthus prius interfectus esset, spectatorum exspectatio atque ultionis quasi cupiditas satiata esset Clytaemestra nondum necata, ut matris caede spectatores, ut taedio atque misericordia afficerentur, futurum fuisse admodum probabile esse videatur. Maxime autem Sophoclis intererat, ne misereret Clytaemestrae spectatores; ratio enim fabulae eos illam persolvere poenam scelerum iustam arbitrari flagitabat; quare Sophocles quam scelestissimam depinxit Clytaemestram. Non igitur prius erat afficienda supplicio, sed Aegisthus. Cuius viri crudelis et ignavi nece spectatores, quorum animi usque ad illud tempus vehementissime suspensi fuerant, quasi onere levantur et cum gaudio quodam Aegisthum mortem vident subeuntem. Neque scio an poëta tam longum composuerit finem fabulae, ut caedis memoriam aliquantum adimeret spectatoribus. (Confer Westrickium pag. 170 et 141). Queckius (pag. 41) etiam aliam profert causam.

Pergit Wilamowitzius: „Aber wenn Orestes den Aegisthos in das Haus treibt, um ihn da zu töten, so merkt man . . . die Absicht, die Bühne leer zu machen . . . . Num hoc crimini vertere Sophocli licet Wilamowitzio? Et causam affert Orestes vv. 1495 sq. Debet Aegisthus mortem subire eodem loco, quo viginti annis ante Agamemnonem obtruncaverat. „Die triviale Moral „jeder Verbrecher müsste so prompt exekutiert werden, das Exempel würde gut abschrecken“, ist wirklich die einzige Moral, welche aus dieser letzten

That sich allenfalls ziehen liess." Equidem Wilamowitzium Orestis verba (vv. 1505 sqq.) falso interpretatum esse puto. Dicit Orestes: ,Si omnes scelesti homines, ubi primum commiserunt scelera, ea qua Aegisthus poena, i. e. supplicio afficerentur, non tot committerentur scelera.' De Aegistho autem confestim supplicium sumptum esse non dicit Orestes neque potest dicere, quod Aegisthus vicesimo demum anno post Agamemnonis caedem sceleris poenas dedit. Inest autem in illis verbis hoc vitae praeceptum iustitiae semper esse satisfaciendum, quod praeceptum mihi minime absurdum esse videtur. Et loquitur Orestes fastidio quodam et ira affectus, quod manus suas sanguine tam mali hominis necesse sit polluat. Quare iniuria dicit Wilamowitzius: „Und doch ist die Sentenz als solche stilistisch unerlässlich, damit das Stück einigermassen ausklinge und der Schauspieler einen „Abgang" habe." Hoc miserabili consilio Sophocles ne unum quidem versum composuit.

Pag. 238 loquitur Wilamowitzius de iis rebus, quibus Sophoclem superavisse putat Euripidis fabulam. Et multum laudis attribuit Sophocli, quam laudem equidem non magni facio, cum Wilamowitzius, quod ad summam rei attinet, totam poëtae fabulam aspernetur. Quae autem dicit de versibus 1126—1170: „Electra mit der Asche des Bruders ist eine so tief rührende Erscheinung, dass man willig dabei vergisst, wie gänzlich müssig die Scene ist, und wie nutzlos die Marter, welche der Bruder der Schwester anthut,[1] die er kaum verkennen kann", comprobare non possum. Mihi quidem versus illi minime supervacanei esse videntur. Voluit enim poëta Electram postremum per omnes doloris atque desperationis cruciatus perducere, ut eo maius esset gaudium agnito fratre. Sequebatur autem agnitionem caedes Clytaemestrae. Quam optime rem sic instituit poëta, ut ante ipsam καταστροφήν paulum retardaret fabulae explicationis progressum. Hac ratione spectatoribus aliquid temporis praebuit quasi parandi se ad ea quae erant eventura. Tanquam quiescimus Electrae μονῳδίαν audientes, cum nos Orestem iam adesse noverimus ideoque non admodum animi commoveamur. Habemus otium plane nos dedendi histrionis arti eamque admirandi. Quod autem pertinet ad Wilamowitzii de Electrae cruciatu dubitationem, equidem Orestem, quae esset lamentans virgo, non scivisse affirmem. Nam ubi primum chorus Electram nominavit (v. 1171),

[1]) Schlegelius (pag. 161) Euripidem vituperat propter eandem causam. Defendit poëtam Queckius pag. 64.

vehementissime commovetur et perturbatur Orestes (v. 1174—75); paenitet eum, quod Electrae mentem dolore affecit. (v. 1113 sq., 1117 sq., 1123 sqq.). Antea vel unam ex Electrae amicis eam vel propinquam esse coniecerat (v. 1125). Ceterum facile fieri poterat, ut Orestes inter ipsam Electrae lamentationem mirari inciperet querelam tam vehementem et post versum 1170 in eo esset, ut quaereret ex Electra, quanam causa adducta Orestis mortem sic doleret; chori autem consolatione, quominus quaerat, prohibetur. Quare nihil habet Bruhnius, cur vituperet Sophoclem pag. 322: ,Electrae autem urnam adloquentis si paullulum represseris admirationem, nonne admodum tibi mire videbitur Orestes, qui in prologo gemitu exaudito statim Electrae meminerit, nunc surdo par esse et caeco?' Equidem Orestem sororem ante versum 1170 non agnovisse existimo, quare Electram consulto eum cruciare non potest dici.

Pag. 239 dicit Wilamowitzius: „So erkenne ich den Vorrang der Elektra des Sophokles bereitwillig an, ..." Mira esse videntur haec verba. Nam Wilamowitzius in universum repudiat Electram Sophoclis, id quod satis superque patet ex iis quae adhuc protulit. Et tamen Sophocleam fabulam pluris aestimare se dicit quam Euripideam. Quomodo solvi potest haec discrepantia? Praeterea paulo post rursus implicatur discrepantiae dicens: „Die Ueberlegenheit des tragischen Genius bewährt Euripides auch hier." Nam equidem utrius poëtae ingenium maius sit, eiusdem tragoediam praestantiorem esse arbitror.

Ex iis quae praeterea Wilamowitzius profert, pauca afferam[1]). Velut dicit pag. 240: „Die drei Philoktete sind . . . eine schlagende Parallele zu dem, was ich hier für die Elektren beweise." Hoc quidem argumentum iam Gruppius (pag. 453) protulit, et supra monui (pag. 4), quam sint infirma talia argumenta. Omnes tres poëtas tragicos Oedipi argumentum tractasse inter omnes constat. Dicit autem Dindorfius vol. I., pag. 9a: „Oedipum ante Sophoclem scripsit Aeschylus, . . . post Sophoclem Euripides', et Bergkius III, 418 ann. 170: „Dass Euripides erst nach Sophokles den Oedipus schrieb, wird zwar nicht überliefert, ist aber kaum zu bezweifeln." Qua ratione argumento Wilamowitziano etiam plus fidei detrahi patet. „Wer nachsinnen will, wird die Dichtweise des Philoktet derjenigen

[1]) Inde Singerus iam non loquitur de Wilamowitzii commentatione.

der Elektra ganz verwandt finden und sich selbst bestätigen, dass beide ziemlich gleichzeitig gedichtet sind." In annotatione pag. 240 affert Wilamowitzius dissertationem Fr. Schroederi, ‚de iteratis apud tragicos Graecos', qui magnam esse coniunctionem inter Electrae et Philoctetae fabulas observaverit. Ceterum Wilamowitzius non potest non concedere: „Allerdings sind die von ihm für die Elektra gesammelten Anklänge nicht so durchschlagend, wie die Euripides-Citate der Trachinieriunen." Et Weckleinius dicit in recensione Schroederianae commentationis („Philol. Anzeiger" XIII, suppl. 1 pag. 663—666), valde incerta esse nonnulla, quae Schroederus protulerit. Est denique lubricum illa ratione conferre duas fabulas ad aetatem definiendam. Nam in hac re tuo ipsius sensui ut nimis ignoscas facillime adducaris, unde consequitur magna sententiarum discrepantia. Velut Wilamowitzius Electram Sophocleam ultimis huius poëtae fabulis adnumerat respecto dicendi genere totaque fabulae ratione. Bergkius autem Elektram cum Aiace atque Trachiniis ascribit fabulis prioribus, quae prodant amari aliquid atque artificiosi (III, 376), cum postremae fabulae, in iis Philoctetes, insignes sint grata et volubili oratione, alacri sententiarum studio, praecipuo mulierum ingenia describendi amore (III, 375 ann. 67).

Rem igitur non tam claram esse vides, uti putare videtur Wilamowitzius; nam si esset clara, magna deesset sententiarum differentia. Ceterum Bergkii sententiam sequor.

Wilamowitzius autem non solum enucleavit, qua de causa Sophocles ut suam Electram opponeret Euripideae fabulae adductus sit, sed etiam Euripidem Sophoclis Electrae novam tragoediam opposuisse repperit. Haec autem tragoedia est Orestes. Hic quoque cum solita fiducia argumenta profert. Sunt autem meo quidem iudicio argumenta illa tam incerta, tantopere carent omni firmo fundamento, ut nemo vel aliquam probandi vim illis sit attributurus. Est Orestes, ut opinor, fabula, qua poëta, ut C. O. Muelleri cogitatione (II. G. S. II, 160) utar, id nisus esse videtur, ut tanquam molem indigestam affectuum inter se pugnantium exaggeraret, quorum eventus nondum significari potest.

Pag. 242 pergit Wilamowitzius: „ . . . Ich bin der Ansicht, dass überall der Inhalt, die Seele mehr gilt als die tote Form, und dass es nicht angeht, aus formellen Beobachtungen, ohne Beachtung oder gar wider den Inhalt das Alter . . . antiker Schriften zu bestimmen." Hanc cogitationem et quod concessit Wilamowitzius pag.

239 Sophoclis Electram multo magis antiquitatem redolere[1]) quam Euripidis fabulam, hoc quidem loco maxime premamus; est enim demonstraturus Wilamowitzius ex metricis rationibus Sophoclis Electram postremis poëtae fabulis esse adnumerandam.

Inspiciamus, quae proferat ad hanc rem!

Numerum solutionum, quae in trimetris iambicis inveniuntur, ne ipse quidem magni esse momenti ad aetatem fabulae alicuius definiendam concedit. Et profecto res sic se habet. Velut Electrae fabula exhibet 27 solutiones in trimetris 1095, ut hanc tragoediam certe referendam esse in numerum priorum Sophoclis fabularum arbitreris; nam solutiones in posterioribus poëtarum tragoediis multo saepius quam in prioribus inveniri iam dudum annotavere viri docti. Evolvas autem Oedipum Coloneum, quam fabulam novissimam esse Sophoclis omnes consentiunt. Praebet 62 solutiones in 1271 trimetris cum multo plures exspectes. Estne igitur reicienda observatio illa? Minime; sed cave ne adhibeas in aetate fabulae cuiusdam accurate definienda. Nam poëtae numeros sibi sumunt secundum argumenti naturam. Velut in fabula, quae plena sit exspectationis et affectuum, plures quam in alia solutiones invenientur. Talis fabula est Oedipus Rex quae continet 65 solutiones in 1195 trimetris et sola Philoctetae fabula solutionum numero superatur; sunt autem et Oedipus Rex et Philoctetes priores quam Oedipus Coloneus. — Nam paucae fabulae nobis relictae sunt, ut observatione illa aliam atque universam rationem sequentibus nobis non liceat uti.

Tum loquitur Wilamowitzius de canticis: „Sie sind zu diesem Behufe einer doppelten Untersuchung zu unterziehen, erstens nach der Verteilung zwischen Chor und Schauspieler, zweitens nach den darin verwendeten Massen." — „Der Gesang von der Bühne verdrängt allmählig den Chorgesang immer mehr, wie ja auch in dramaturgischer Beziehung die Bedeutung des Chores immer mehr sinkt. Und in dieser Hinsicht haben wir gesehen, dass die Elektra ziemlich auf der untersten Stufe steht.[2]) Dazu stimmt es, dass der Chor mit zwei selbständigen Liedern bedacht ist, und ausserdem mit dem ersten Strophenpaar des letzten Canticums." Versus sunt octoginta quattuor. Nunc respicias, si libet, hunc conspectum:

[1]) Cur autem redolet antiquitatem? Quia aetate prior est. An Wilamowitzius Sophoclem de industria antiquitatis speciem affectasse putat? Quare affectaret?

[2]) Quam sententiam falsam esse supra ostendi.

vers. chor.		vers. lyr.		
Trach. 184	:	328	=	0,560
Ant. 259	:	467	=	0,554
Oed. R. 200	:	371	=	0,539
Aias 177	:	452	=	0,391
Oed. C. 161	:	537	=	0,299
Phil. 101	:	380	=	0,281
El. 84	:	415	=	0,202

Quem conspectum si diligenter contemplatus eris, Wilamowitzii sententiae valde eum esse perniciosum mihi concedere non vereberis. Dixit enim vir doctus Electram in numero posteriorum fabularum esse habendam. Illo autem conspectu etiam plus demonstravi quam Wilamowitzius demonstrare voluit: Electram esse ultimam Sophoclis fabulam.

Neque minor vel maior versuum lyricorum numerus affert aliquid ad rem, id quod consequitur ex hoc conspectu:

vers. lyr.		num. vers. tot. fab.		
Oed. R. 371	:	1530	=	0,242
Trach. 328	:	1230	=	0,256
Phil. 380	:	1471	=	0,259
El. 415	:	1510	=	0,274
Oed. C. 537	:	1777	=	0,302
Aias 452	:	1420	=	0,318
Ant. 467	:	1553	=	0,345

Sunt enim, ut iam supra monui, pauciores nobis relictae fabulae quam ut examinatis earum numeris fabulam aliquam aut prioribus aut posterioribus adnumerandam esse nobis liceat contendere. Quare illi in trimetrorum fine vocalium elisioni non tantum momenti attribuam quantum alii, velut Boeckhius. Scio poëtas tragicos profecta aetate ad tragoediae formam leviorem quandam rationem esse secutos, quae potissimum patet e solutionum in trimetris iambicis numero chorique deminutione canticorum. Sed multa alia poëtis respicienda erant, quae ad formam tragoediae pertinebant. Velut non nihil referebat ad cantici alicuius versuum numerum, qualia essent ea, quae aut antecedebant aut sequebantur canticum. Ceterum non eam esse rei summam putaverim, quot versus canat chorus, sed quotiens canat. Canit autem in Electra chorus ter, in Oedipo Coloneo quater, in Antigona quinquies. Quid consequatur vides.

Porro dicit Wilamowitzius: „An allen anderen lyrischen Partien nehmen die Personen Teil, und zwar sind sie meist bevorzugt. Dies gilt vor allem vom lyrischen Hauptstück des Dramas, der Parodos. Sie umfasst drei Strophenpaare und eine Epode, alle zweigeteilt, so dass dem Chore die erste kleinere Hälfte, die weit grössere Elektra zufällt, und ausserdem geht noch eine Monodie Elektras vorher.“ Consideremus hanc *πάροδον*. Sunt versus 71 Electrae, chori 53. Num magna tibi videtur esse ista differentia? Attribuit autem Sophocles choro minus versuum, quod mulieres, quae Agamemnonis filiam consolaturae venerant, largis eam verbis urgere non decet. Respicias hunc quoque conspectum:

vers.		vers.
	Στροφὴ α′	
chor. 7		El. 8
	Ἀντιστρ. α′	
chor. 7		El. 8
	Στροφὴ β′	
chor. 10		El. 8
	Ἀντιστρ. β′	
chor. 10		El. 8
	Στροφὴ γ′	
chor. 8		El. 12
	Ἀντιστρ. γ′	
chor. 8		El. 12

Sex versuum adesse differentiam vides. Sequitur *ἐπῳδός*. Exclamavit autem Electra vv. 229 sqq. neminem se posse consolari. Quare tacet chorus, cum paucis verbis sola benevolentia impulsas locutas esse se affirmaverint mulieres. Ceterum Electram, quae primas agat partes in hac *παρόδῳ*, finire eam uberiore modo admodum videtur aptum. Est igitur reicienda Wilamowitzii sententia.

Pergit Wilamowitzius: „Die Bühne ist an dem ersten Chorlied bei Sophokles noch im Philoktet und im Oedipus auf Kolonos beteiligt; in ersterem hat aber Neoptolemos nur . . Anapaeste und ein paar Wörter eines jambischen Verses.“ (Confer pag. 73). Oedipi Colonei *πάροδος* continet versus 119, quorum chorus integros canit versus 65, Antigona et Oedipus (si post v. 183 quattuor versus intercidisse statuimus), versus quadraginta. Praeterea chorus in iis versibus, quos poëta semel vel compluries divisit, magnam, non nunquam maximam versus partem recitat. Est autem Oedipus Co-

loneus ultima Sophoclis fabula, ut chori auctoritatem hic quidem admodum deminuisse poëtam exspectes secundum Wilamowitzii sententiam; et tamen aliter se habet res. Supplices enim multa dicere non decet; chorus autem subito mirorum hominum adventu vehementer excitatus est et ex hominum excitatorum oribus oratio quasi flumen profluit. Etiam augetur chori excitatio eo quod Oedipum sedentem videt in Furiarum luco, quem lucum summum erat nefas intrare. His causis Sophocles in Oedipo Coloneo choro tot versus attribuit, quamvis eam tragoediam scripserit postremam.

Quod pertinet ad Philoctetae πάροδον, Wilamowitzius nihil nisi anapaestos et versus iambici unius verba pauca Neoptolemum recitare concedit, de versuum numero tacet. Dicit autem Neoptolemus integros versus 25, chorus recitat plus quinquaginta. Describit enim Neoptolemus Philoctetae domicilium, quare plura ei sunt dicenda. Vides igitur in sola rerum condicione positum esse, utrum chorus aut plus aut minus versuum recitet.

Pergit Wilamowitzius: „Die Monodie (Electrae, vv. 86—120) vorher erscheint sonst nur noch in späteren euripideischen Dramen: auf dieses sehr wichtige chronologische Indicium hat schon H. von Arnim hingewiesen.“ Dicit is: ‚Fortasse hac observatione ad tempus Electrae a Sophocle doctae accuratius definiendam aliquis uti poterit.‘ Num te fugit, quam provide atque caute locutus sit Arnimius? Equidem omnino nullius momenti esse illam Arnimii observationem puto, potius in hac re merum adesse casum. Quid enim naturae convenientius esse videtur (conf. Bruhnium pag. 320) quam Electram post prologum querentem in scaenam prodire? Apud Euripidem item legimus Electrae μονῳδίαν. Wilamowitzius autem ostendere vult Euripidis Electram priorem esse quam Sophoclis: qui potest hoc efficere, cum ipse μονῳδίας ante prologos inveniri in posterioribus fabulis affirmaverit?

„Der zweite Wechselgesang zwischen Elektra und dem Chore (824—870) verteilt die Worte so, dass innerhalb der rhythmischen Kontinuität öfter Personenwechsel zum Teil nach ganz wenig Worten eintritt.“ Significat Wilamowitzius illum Electrae locum, ubi misera Agamemnonis filia, quae paulo ante mortuum esse fratrem a paedagogo audivit, totam se desperationi dedit chorumque monentem vehementer repudiat. Hisce verbis ipsam causam attuli illius versuum divisionis; aliud mea quidem sententia concludi ex illa re non potest. Nunc audias Wilamowitzium: „Da die Fälle nicht selten sind, wo der

Chor in der Antistrophe diejenigen Partien hat, welche in der Strophe einem Schauspieler gehören und umgekehrt, so ist der Schluss geboten, dass der Chorführer in diesen Liedern den Chor vertritt, so dass es ein wirkliches Duett war.“ Haud scio an non recte intellexerim Wilamowitzii verba; sed quantum equidem ea percepisse me opinor, non possunt traduci ad illos Electrae Sophocleae versus. Nihil in iis possum invenire illius inversionis, de qua dicit Wilamowitzius; potius Electra atque chorus in utraque antistropha eodem quo in strophis ordine canunt. „Bei Sophokles finden sich solche Duette im letzten Lied des Philoktet ...“ Sunt versus 1081—1217. Praeter id, quod hoc quidem loco minus divisi sunt versus quam in Electra, res sic se habet ut in hac fabula. Chorus summa ope nititur (sicut antea Neoptolemus et Ulixes), ut cum ipsis Troiam redeat Philoctetes. Hic autem tam obstinatum se praebet, ut facilius ipsum sibi manus illaturum esse declaret quam illuc abiturum. Num in tali rerum condicione alter alterum commode loqui sinit? Minime. Illam autem inversionem ne in Philocteta quidem reperire potui.

„.... und dreimal im Oedipus auf Kolonos, in Parodos, Exodos und dem Lied 510—548 ...“ De parodo Oedipi Colonei iam supra locutus sum. Quod pertinet ad ἔξοδον, lugent Oedipi filiae ob mirabilem Oedipi decessum. Num igitur inepte hoc instituit Sophocles, quod versus divisit, ut hac quoque ratione animorum motum depingeret? Optime autem hoc fecit poëta in vv. 510—548, ubi chorus cum magna obstinatione rogans Oedipum cogit fere, ut quis sit quaeque fecerit narret. Ex his brevissimis enuntiationibus quasi sentire nos opinamur cum chori perseverantiam (habet enim ius quaerendi) tum Oedipi dolorem pudoremque.

Plus ex omnibus his locis quos attulit Wilamowitzius, concludere non possum.

Pag. 244 dicit: „Das Zurücktreten des Chores während des ἀναγνωρισμός hat bei Sophokles nur in den Klagen des leidenden Herakles ... eine Parallele. Euripides ... hat ähnliche Scenen schon in Hekabe und Andromache; — aber suchen wir schlagende Aehnlichkeit, so finden wir sie in den ἀναγνωρισμοί der Helene, des Ion, der Iphigenia Taurika.“

Hac ratione Wilamowitzius Sophoclis Electram unam esse ex ultimis poëtae fabulis ostendere vult; sed mihi non persuasit. Nam

Trachinias attulit exemplum, cum ipse in annotatione dicat: „Aelter als Elektra und Philoktet scheinen die Trachinierinnen.“ Mea autem sententia, siquis fabulam aetate esse posteriorem ostendere vult, adhibere aliquid, quod iam in prioribus fabulis invenitur, non licet. Sed non multis verbis opus est. Quid nam naturae magis convenit quam chorum se recipere inter agnitionem? Num mirum videtur, quod Electra et Orestes chorum adesse omnino iam non reminiscuntur?[1] In Sophoclea autem Electra mulieres chori non quasi statuae stant, sed haud mediocriter gaudio moventur, id quod ex versibus 1230 sq. consequitur.

Pergit Wilamowitzius: „Betrachten wir nun schliesslich die Versmasse. Ich beschränke mich auf die Gattungen Anapäste, Ioniker und das „gemischte“ Metrum der Parodos.“

De his numerorum generibus loquitur pag. 245—49. Quae profert, certe omnibus, qui diligenter legerint, magnae admirationi erunt. Mirabuntur absolutam fere securitatem, qua Wilamowitzius singulas observationes, quas equidem fortuitas esse existimo, leges quasi promulgat ad omnes tragoedias pertinentes; omnia minuit, quae obstare videntur eius sententiae, legentes quasi occaecat. Satisfacere me tibi puto ascribentem Wecklcinii verba: „Es beruht ebenso der Nachweis, welcher dafür erbracht wird, dass die sophokleische Elektra der letzten Periode des Dichters angehört, auf höchst unsicheren Voraussetzungen.“

Finit Wilamowitzius commentationem suam verbis his: „Ich halte es schlechthin für undenkbar, dass ... noch ein Zweifel über die Entstehungszeit der Electra aufkommen kann, . . . ich kenne keine Instanz, welche gegen die vorgetragene Datierung zu sprechen auch nur scheinen könnte.“ Haud scio an aliqua dubitatione, num Wilamowitzius recte sentiat, afficere te mihi contigerit.

Nova est quaestio, quo anno sit docta utraque Electra. Qua de quaestione, cum iam non sit mei propositi, pauca faciam verba. Permulti libri libellique conscripti sunt de illa materia. Quae est obscura plenaque dubitationis, ut, quae viri docti inquirendo de ea elicuerunt, magnopere inter se differant.

Mihi quidem hac ratione ad certum finem nos non perventuros esse persuasum est, nisi prospera fortuna aliquod consilium solvendae quaestionis nobis suppeditaverit; est enim fundamentum, quo nititur

---

[1]) Hoc dici potest de omnibus tragoediis, in quibus invenitur ἀνκγνωρισμός.

quaestio, tam infirmum, ut ultra coniecturas non posse nos progredi equidem ducam. Ex omnibus quae huc spectant commentationibus (collegit Flessa quae notae erant ei pag. 11—23) Bruhnii solam diligentius consideremus. Nititur Bruhnius, ut Euripidem in Helenae fabula compluries irridere Sophoclis Electram demonstret. Helenam autem doctam esse anno 412: ergo Sophoclis Electram ante annum 412 esse doctam. Euripidem autem Electram docuisse anno 413, qui annus consequatur ex vv. 1347—1356. Si igitur Sophocles Electram ante annum 413 composuerit, perspici non posse, quare Euripides Sophoclem in Helenae demum fabula, non in ipsa Electra irriserit. Quod pertinet ad hanc Bruhnii argumentationem, id maxime interesse statim vides, num re vera irriserit Euripides Sophoclem in Helena. Huis fabulae adhibet versus hos:

παλαιότης γὰρ τῷ λόγῳ γ' ἔνεστί τις (1056).
.... *σοφοί τοι Πελοπίδαι τὰ τοιάδε* (1242).
ἐγὼ δ' ἐμαυτὸν πόλλ' ἐλοιδόρησα δή.
οὐ γάρ τι θανάτῳ τοὺς κακοὺς κολάζομεν (1171—72).

In his locis tribus Bruhnius aliquid offensionis invenit, quod ex ipsa quidem tragoedia explicari non possit. Deinde affert Sophocleae Electrae versus 62—64:

ἤδη γὰρ εἶδον πολλάκις καὶ τοὺς σοφοὺς
λόγῳ μάτην θνήσκοντας· εἶθ' ὅταν δόμους
ἔλθωσιν αὖθις, ἐκτετίμηνται πλέον.

et pergit: ‚contemptim Menelaus Euripideus saepius consilium semet ipsum mortuum nuntiandi adhibitum dicit, quam ut inde salutem speraret. Irrideri concludo ab Euripide Sophoclem tempora miscentem heroumque aetate attribuentem, quae illa aetate facta non sint.‘ Praeter id quod Hermannus Helenae v. 1056 sanum esse negavit, Electrae quoque Sophocleae versus 62—64, quibus inprimis nititur Bruhnii sententia, nonnullis viris doctis, velut Weckleinio (ars Sophoclem em. pag. 170), spurii esse visi sunt. Et re vera spurios esse vv. 62—66 equidem existimo. Sunt enim languidi et cohaerentiam tollunt versuum 61 et 67. Ipse Bruhnius concedit hoc pag. 309: ‚Illud . . . Weclino concedo non nihil languere hos versus idque ideo, quia absque ulla necessitate sententiae planissimae hoc quasi argumentum adnectitur.‘ Mihi autem Sophoclem tam languidos versus non composuisse persuasum est. Si igitur versus 62—64 languidos ipse nominat Bruhnius, eosdem suspectos esse videri contendere non est, cur dubitemus. Suspectis autem versibus quod

Bruhnius nisus est in defendenda sententia, laudare non possum. Sed audiamus ipsum (pag. 312): ‚Reprehendebat ille (Euripides) Sophoclem, quod Herodoti gratia languidis versibus tragoediam deturpavisset.‘ Potius igitur Bruhnius Sophoclem languidos versus composuisse existimat quam interpolatorem eos inseruisse. Ceterum Sophocles, cur languidis versibus Herodotum laudaverit, minime possum intellegere, si quidem voluit laudare. Fundamentum igitur, quo nititur Bruhnii sententia, labefactatum esse vides. Sed etiam ab alia parte aggrediar Bruhnii sententiam. Nam ex versibus 1347—1356 annum, quo docta sit Euripidis Electra, enucleari posse negaverim. Non enim poëtam versibus illis res publicas attigisse puto. Equidem ex verbis:

νὼ δ' ἐπὶ πόντον Σικελὸν σπουδῇ
σώσοντε νεῶν πρῴρας ἐνάλους

aliam sententiam non possum elicere nisi hanc fere: ‚Nunc rursus officium nostrum suscipiamus servandi nautas miseros ab interitu.‘ Num Euripides his verbis res publicas significare videtur? Versus autem 1349—1355 adhuc semper coniuncti sunt cum versibus 1347—1348. Equidem Castorem et Pollucem post versum 1348 animum intendere rursus ad scaenam et personas existimo. Est autem sensus versuum 1349—1353: Per aëra volitantes (non super mare), malos non adiuvamus; eos autem, qui boni sunt, magno periculo liberamus. Orestes autem et Electra certe erant boni; nam egerunt oboedientes Apollinis imperio; quare Castor et Pollux salutem iis attulerunt dicentes, quid facerent quoque se conferrent. Tum pergunt: Nequis moliatur quidquam iniusti neque se applicet ad periuros i. e. ad iniustos. *Συμπλείτω* igitur per imaginem est intellegendum, id quod minime mirum esse videtur. Equidem Castorem et Pollucem, antequam decedant, alloqui eos qui in scaena versantur, multo aptius esse puto quam eos multa facere verba de munere suo naufragos conservandi.

